

Stochflecke

G. J. 170

Thes. P. VIII. 367 641.

18  
EXPLICATIO

ἑλεγκτικὴ

Evangelii Dominicae tertiae  
Quadragesimae seu Oculi.

QUAM

DEO DUCE

PRÆSIDE

Dn.

JOHANNES GERHARDO

DOCTORE ET PROFESSORE  
THEOLOGO.

Suo

Patrono & Praeceptore aeternum honorando.

Publicè

Ventilandam proponit

BERNHARDUS DERSCHOW


Regiom. Borussus.

Ad diem 27. Martii, horis à septima  
matutinis.

ANNO M. DC. XVIII.

J E N Æ

Typis TOBIAE STEINMANNI.



*ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS, GE-  
nerosis, Nobilissimis & inter Borussia Regentes  
Eminentissimis Dominis,*

**DN. JOHANNI**  
**TRUCHSES** à **Wetzhausen** Burggravio  
Supremo.

**DN. CHRISTOPHORO**  
**RAPP** Cancellario  
Præcellentissimo.

*Dominis Evergetis & Patronis meis  
æternum colendis,*

*Operarum Academicarum Theolo-  
gicum hoc γύμνασιον, summe  
& submissæ observantiæ causa,*

*Offero & consecro*

Bernhardus Derschow  
Autor Resp.



בְּיְהוָה אֱלֹהֵינוּ

# EVANGELIUM DOMINICÆ III. QVA- dragesimæ seu Oculi.

*Luc. 11. cap. à vers. 14. usq. ad 29. Matth. 12.  
v. 22. & seqq. Item Marc. 3. v. 22. & seqq.*

## THESIS PRIMA.

**D**ivi Augustini, testes sunt ipsius lucu- Προειρησιον.  
brationes, hanc quotidianam fuisse precatio-  
nem legimus: *Da mihi, Christe, nosse Te, nosse  
Me, & id quidem non immerito.* Nam uni-  
versa hominis sapientia Theologica in duo-  
bus consistit. 1. in cognitione Dei, 2. in co-  
gnitione sui, quorum alterutro deficiente, propter arctissimam  
& indissolubilem connexionem, ipsius salutis naufragium sub-  
sequi necesse est. Etenim si vel maximè Christi *Φιλανθεω-  
πίαν καὶ παντοκρατορίαν* perspectam habeas, te ipsum autem  
ignores, & corruptissimum tuæ naturæ tuarumque virium sta-  
tum haud agnoscas, in turpissimam tamen hypocrisin, vel in-  
manifestam securitatem abriperis: Et vice versa te ipsum si  
noris, Christum verò nescias, jam jam ad desperationem para-  
tissima est via.

2. Quò respiciens pia & veneranda antiquitas, tum per  
integrum anni circulum, tum hoc præcipuè Quadragesimali  
tempore ejusmodi miracula & conciones in Ecclesia proponi  
voluit, quæ partim de horrenda Diaboli potestate in miseros

nos mortales, ac proinde de extrema corruptionis nostræ mi-  
leria nos erudiant, partim verò Christi humani generis Serva-  
toris (ὅς εἰς τὸ εὐαγγέλιον ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ Διαβόλου,  
1. Johan. 3. vers. 8.) notitiam cum fiducia saluari conjunctam in  
animis nostris accendant.

Partes Ev.  
angelii tres

Votum.

3. Utrumque hunc utriusque notitiæ finem salutarem,  
ut nos quoque percipiamus, totum præsens Evangelium, quod  
iis, quæ proximè præcesserunt, ob materiæ affinitatem commo-  
dissime subicitur, in certa quædam & quidem tria capita redi-  
gemus, quorum 1. comprehendet ipsum miraculum, & de eo  
diversum spectatorum iudicium. 2. Christi responsum tum  
apologeticum tum paræneticum. 3. ejusdem cum muliere  
quapiam de vera hominis beatitudine colloquium. *Expectamus  
autem à te, O benignissime Jesu, ut trepidi hujus cepti exordia incites,  
& profectu ac crescente confirmes, & ad consortium Prophetarum Aposto-  
licarum Spiritus voces, ut eorum dicta, non alio, quam ipsi locuti sunt, sensu  
apprehendamus, verborumque proprietates ipsorum rerum significationibus  
exequamur, ita voveo ex Hilar. lib. 1. de Trinit. circa finem.*

### PARS I.

## DE CHRISTI MIRACULO, ET quod hoc subsecutum est, diverso spectatorum iudicio.

4. Textus ita incipit: *Et erat eiciens Dæmonium & illud  
erat mutum. Et cum eiecisset Jesus Dæmonium, locutus est mutus, &  
admiratae sunt turbae & c.* Circa quod primum hujus Evangelii  
membrum quatuor personæ diligenter observandæ veniunt,  
Primo Diabolus obsidens. Deinde Christus expellens. Tertio  
Dæmoniacus loquens & videns. Quarto Spectatorum chorus  
judicans.

2. Δαιμόνιον.

5. *Διάβολος*, quæ dicas Criminator ab Evangelista in  
præsenti Evangelio vocatur *δαιμόνιον*, quæ vox, ut Græci lo-  
quuntur, ἐπαμφοτερίζει. In primis apud Philosophos hone-  
stum & excellens erat nomen, quippe quod à scientia deduci-  
tur, cum δαίμων sit quasi δαήμων peritus ac rerum sciens, cen-  
sente

senre ita *Caelio Lactantio lib. 2. instit. cap. 14.* Consule etiam *Henricum Stephani in thesau. linguae Graecae.* Hinc *Isocrates* pro supremo numine accipit in isto præcepto: *Τίμα τὸ δαιμόνιον, time Deum.* Et autor allegoriarum *Hesiodi*, *Aristotelem* appellat *δαιμόνιον*, id est, summae sapientiae virum. Speciatim tamen in sacris nomen *δαιμονίας* odiosum est, ac de malis tantum spiritibus prædicatur, quemadmodum & hoc loco, idque propter astutiam *1. Corinth. 10. v. 29.* ob quam causam etiam Doctores astutos, Spiritus erroris, & eorum doctrinam, quam subdole spargere conantur, *doctrinam Daemoniorum* nuncupat *Apostolus 1. Tim. 4. v. 1.*

6. De hoc jam *Dæmonio* refert *Lucas*, quod fuerit *κωφὸν mutum*. *Matthæus* addit *τυφλὸν cæcum*, scilicet non formaliter & in sua natura, sed effectivè sive per meronymiam effecti p̄ causa, (quamvis *Barradio* cum *Abulensi* contra communem interpretum sententiam secus videatur.) quod sua obsessione infelici homini omnem sermonis usum & visum, & ut ferè semper propter musculorum ac nervorum linguae & auditui servientium mutuum consensum fieri solet, sicuti & vox *κωφὸς* hic innuit, notante *Theophylacto in Lucam*, auditum unâ abstulisset, cum aliàs in organis horum sensuum nihil fuerit naturalis vitii, quo minus homo ante obsessionem loqueretur, videret & audiret. Quo etiam nomine *δαιμονιζόμενον* istum tanto miserabiliorem coram omnibus factum esse, nullum potest esse dubium. *O pestiferam Daemonis astutiam*, exclamat *Chrysostom. homil. 41. in Matth. universam viam obstruxit, qua ille erat crediturus.*

7. At *Christus* Salvator generis humani, hujus crudelissimè afflicti hominis misertus, *Dæmonium* ex domicilio quod sibi fixerat, digito Dei seu divina virtute atque Imperio omnipotente exturbavit. *Μεγίστης γὰρ δυνάμεως ἔργον ἐστὶ τὸ δαίμονας ἐκβάλλειν*, ait iterum scitè *Chrysostom. homil. 42. in Matth.*

8. De loco, ubi istud miraculum contigerit, satis non constat, & quia Scriptura tacet, magnoperè de ea re non esse contendendum rectissimè monet *Salmeron. Borchardus* quidem & *Andri*

Quomodo  
mutum &  
cæcum.

Item surdus

II.  
Christus ex-  
pulsor.

Miraculū  
locus.



& Adrichomius in theatro terræ sanctæ locum constituunt propè Tyrum, quem adhuc hodie monstrari dicunt, sed de hujus relationis post tot secula factæ veritate non immeritò quis dubitaret. Costerus in compendiosa Exangelii expositione id in Cæpernaum factum esse arbitratur, cum Christus hospitem ageret apud Petrum, sed unde hoc habeat Costerus divinatione assequi nequeo, nihil sanè ejusmodi pronunciare audent diligentissimi circumstantiarum βασιανισαί Jansenius, Barrad. Bisciola.

III.  
Ejusdem in  
Dæmoniaco  
fructus.

9. Subsequitur ejectionis a Christo factæ in Dæmoniacò consequens, amota siquidem causa removeretur effectus, nempe qui antea erat cæcus nunc videt, qui mutus nunc loquitur, qui surdus nunc audit, atque sic in uno hoc homine tria simul contigere miracula, Hieron super Math. cap. 12. Abundat quidem Dæmonis malitia, superabundat tamen divina clementia, Ludolph. Carthusiensis. Unde merito, clamat alius quidam ex Patribus, hic ante Christum sistitur. Nam si Dæmoniacus est, Christus est cithara David, quæ Dæmon pellitur, 1. Reg. 16. Si cæcus est, Christus est lux mundi illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, Johan. 1. v. 8. Si mutus est, Christus est verbum Patris, quod aperit os mutorum, & linguas infantum facit disertas, Sap. 10. v. 21.

IV.  
Spectato-  
rum cohors.

10. Quia autem homines nunquam ferè res ex sua naturâ, sed ex ingenio quisque suo æstimare solent, ac multi spectatores ex singulis civitatibus aderant, cum ejecto Dæmonio mutus loqueretur & cæcus videret, Marc. 3. v. 20. Luc. 8. v. 4. qui diversimodè erga Christi personam affecti erant, iccirco etiam de ejus operè diversimodè loquebantur. Nam quemadmodum apes ex floribus suavissimum mel, araneæ verò acerbissimum venenum eliciunt, sic quoque ex hoc Christi miraculo diversa oriuntur judicia, quæ tamen ad tria possunt revocari genera.

Turba ad-  
miratio.

11. Et primò quidem inveniuntur nonnulli ab omnino maligno affectu alieni, homines nimirum plebei, qui admirabantur tam subitam & facilem energumeni miserrimi liberationem. οἱ ὄχλοι, inquit Lucas, ἐθαύμασαν. Matthæus utitur vocabulo ἐξίσταντο, quod habet significationem verbi ἐπιλήθειν, & notat præ admiratione apud se nõ esse, ac de mētis statu dejici. Erat namque ejusmodi miraculum, quod nulla ex parte



parte salvâ conscientia eludi potuit, quin potius divinæ omnipotentia radii undique elucerent, quemadmodum expressis verbis fatentur *Matth. 9. vers. 33: Nunquam apparuit tale quidpiam in Israël.*

12. Neque prorsus vana & otiosa fuit hæc ipsorum admiratio, sed operis magnitudine excitati longius progrediuntur, & quasi manu ducuntur ad fidem, atque (ut Matthæus subnectit) quærunt: *Μήτις ἔστος ἐγὼ ὁ υἱὸς Δαβὶδ;* Complutensis editio legit, *ὁ υἱὸς οὗτος ὁ υἱὸς &c.* Nonne hic est Filius ille Davidis, id est, Servator & Redemptor, quem ex Davidis stirpe nasciturum esse olim Prophetæ prædixerunt? Erat namq; vulgò notum, quod *Jesaias cap. 35.* & alibi de miraculosis Messia operibus vaticinatus fuerat, fore nimirum ut aperientur oculi cæcorum, & paterent aures surdorum, claudi exultarent, multorumq; linguæ solverentur in jubilum. Cum ergo hæc tam aperte fieri viderent, non possunt suam de Christo opinionem dissimulare, non quod repente profecerint quantum oportebat, sed hic tamen non exiguus est profectus, dum sese expergeficiunt ad considerandam attentius Christi gloriam. Simile quid legitur *Johan. 7. v. 31.* ubi de turba multi dixerunt: *Christus cum venerit, numquid majora signa faciet, quàm quæ hic facit?*

13. Deinde inveniuntur alii planè blasphemi, & illi quidem ex Pharisaorum & Scribarum ab Hierosolymis descenduntium grege, qui cum audirent in turba tales quæstiones agitari: Nonne hic est Filius ille David? satisque intelligerent se parum effecturos, si contra omnem sensum Christi miraculum tam apertum vel prorsus negarent, vel ut malum & noxium reprehenderent; Quapropter ut rudi populo conceptam de verè divina Salvatoris nostri virtute opinionem eripiant, ex odio & invidia prorsus Diabolica ad virulentas se convertunt: calumnias, effutiendo, quod Christus à Dæmone obsessus sit, & quod Diabolico præditus Spiritu alios Dæmones ejiciat. Et quidam, ait Lucas, ex eis dixerunt: *Ἰν βεελζεβὴλ Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.* Matthæus ita: *Pharisæi autem (ita dicti ὁὶ ἀποστολεὶς ἐν τῷ ὄνοματι τοῦ βεελζεβὴλ, teste Epiphani.) audiētes dixerunt &c.* Marcus sic refert: *Et Scribæ, qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.* Sensus ergo eorum est: Quid stupore

Pharisaorum  
blasphemiam

porc nimio movemini o Viri? Et quæ stultitia est, illum statim pro Messia agnoscere velle, qui Dæmonium ejicit? An ignoratis, quid possint magi & qui cum Diabolo conjurarunt? Quid ergo hic aliud fieri putabimus, quam quod per Beelzebub Principem Dæmoniorum, qui in eo habitat, ista Dæmonia ejiciat?

Beelzebub  
quod fuerit  
idolum, &  
unde dictū.

14. Principem autem &  $\text{בְּעֵלְזֵבֻב}$  in regno Sathanæ vocant  $\text{Βεελζεβὺλ}$ , seu, ut Syrus habet,  $\text{בְּעֵלְזֵבֻב}$ , quorum hoc Deum seu potius idolum Accaronitarum significat, 2. Reg. 1. v. 3. ubi LXX. legunt  $\text{Βάαλ μύϊαν}$ . Atq; sic à musca, & quidem, ut quibusdam placet, venenata, quæ Hebræis dicitur  $\text{זְבֻב}$ , nomen accepit, vel 1. quod in idoli hujus delubro magna muscarum semper copia fuerit, cruoris nidore immolatarum victimarum alleccta, censente ita Ludovic. Carthusiensi de vita Jesu Christi cap. 73. & Augustino Monacho sermon. 38. Quadrag. Reclamant autem Salmeron, tom 6. tract. 25. & Calvinus in Harmon. Evang. (Remigius dicit, Abimelechum Gedeonis filium extruxisse templum Baali, & in eo constituisse Sacerdotem Zebub ad abigendas muscas, quæ ob cruorem victimarum in templum confluebant, sed illud adhuc magis incertum est, licet Salmeron probare videatur) vel 2. quod in muscarum infestatione & importunis insultibus illius idoli auxilium imploratum sit, sicut Græci Myjagron aut Myjodem hoc nomine celebrabant, eiq; adversus muscarum multitudinem pestilentiam adferentium litabant, teste Plinio lib. 10. histor. natur. cap. 27. & lib. 29. cap. 6. Quæ sententia ferè est communis omnium. vel 3. quod magnæ alicujus muscæ figuram habuerit, ut autor est Nazianzenus contra Julianum. vel, ut Barradius quarto loco addit, quod muscarum creator & curator ab Ethnicis putaretur; illud autem nomen, nempe  $\text{Βεελζεβὺλ}$ , Cacodæmonem per contemptum notat. Beel namque in Chaldæorum lingua Jovem designat, & à Beli patris Nini statua, in qua Dæmon colebatur, sumitur, quemadmodum Salmeroni placet tom 8. tract. 15.  $\text{זְבֻב}$  verò seu  $\text{זְבֻב}$  stercus notat, à Rad. in Piel  $\text{זָבַב}$  Arab,  $\text{זָבַב}$  stercoravit, ut ita  $\text{Βεελζεβὺλ}$  sit idem atq;  $\text{Ζεὺς κόπριος}$  aut  $\text{κοπριὸς}$  aut  $\text{κοπριώδης}$ , stercorosus, notante peritissimo

$\text{Βεελζεβὺλ}$ .

tissimo linguarum l. Drusio in comment. ad N. T. pag. 30. Vide  
etiam Harmon. Chemnit. part. 2. lib. 3. cap. 59.

15. Ubi & hoc observandum, eos, qui tunc credebantur  
in populo Judaico omnium optimi, qui in Cathedra Moſis  
ſedebant, ac velut Scripturarum Magiſtri de clave ſcientiæ  
ſibi concedita gloriabantur, tanto odio adverſus agnitam ve-  
ritatem flagrare, ut virtutem & poteſtatem Dei propriam  
ſpurciſſimo potius Diabolo, qui ab initio homicida fuit &  
mendax, quam Deo & ejus unigenito filio Chriſto assignare  
malint. Hæc eſt Diaboli Sophiſtica, qua ſeipſum hominibus  
commendare, Chriſtum verò & ejus Evangelium cunctis in-  
viſum reddere ſtudet. Similiter adhuc hodiè Judæi ex Diaboli  
inſtinctu Chriſtum per שמ המפרש ſua miracula edidiſſe ca-  
lumniantur. Confer B. Luther. tom. 8. Jenenſ. pag. 120. Et Petr.  
Galat. libr. 2. Cathol. veritat. cap. 10. & lib. 8. ca. 5.

Malorum  
tentatio.

16. Porrò calumniatoribus Phariſæis ac Scribis tertii  
accedunt ex eodem ordine, (ſicut ex Matthæo colligere eſt)  
qui Chriſtum παραλογες ſignum petebant è cælo, id eſt, aliquod  
cœleſte & magnum miraculum ſoli Deo poſſibile. Tentandi  
voce ſatis indicat Lucas, quo animo & in quem finem hoc  
fecerint, nimirum non audebant quidem nimium in conſcien-  
tia convicti hanc diviniæ virtutis oſtenſionem Satanæ aſcribe-  
re, nihilominus tamen ut peterent novas calumniandi occa-  
ſiones, miracula, quæ huc uſque Chriſtus ediderat, quodam-  
modo extenuare, atque ſic turbæ honorificum de Chriſto ju-  
dicium refellere conabantur, quaſi dicerent: Vidimus ſignum,  
quod in homine energumeno oſtendiſti, audivimus etiam turbæ  
ſententiam, quæ te propterea Meſſiam ſuum facit. At nos tanti  
hoc ſignum, tanquam terrenum & humile, æſtimare non poſ-  
ſumus, ut propter illud te pro Doctore divinitus miſſo, aut et-  
iam pro Deo agnoſcamus. Si autem cœlitus aliquod ſignum  
ederes, ut vel curſum Solis mutares, quemadmodum tempore  
Joſuæ & Hiſkiæ factum, aut Manna aut ignem de cælo plue-  
res, quemadmodum ſub Moſe & Elia compertum eſt, tunc  
quoque fidem tibi adhiberemus. Cajetanus hîc verbum Volu-  
mus in Matthæo notari vult, atque inde deducit, quod Phariſæi  
cum

B

cum



cum autoritate quapiam & imperio Christum sine adori, vob-  
lentes ac jubentes ut ita faceret.

17. Hæc tamen non ideò dicunt nequissimi illi homi-  
nes, quasi veritatis studium tantoperè ament, ac hujusmodi  
signo exhibito seriò credere velint, nihil enim plus eo apud  
illos effecisset Dominus, quam Moses olim miraculorum co-  
pià apud Pharaonem; verum postquam semel firmiter consti-  
tuerant nolle se Christum Jesum pro Messia agnoscere, hinc  
mira vafricie utuntur, & quæcunque possunt subterfugia con-  
quirunt, ne Deo gloriæ ac infinitæ potentia testimonium dare  
cogantur. Eiusdem ingenii sunt nostro seculo Pontificii, qui  
cum se Catholicos & sanctæ Ecclesiæ membra profiteantur, &  
Scripturam sacram pro vera agnoscere velint, non tamen do-  
ctrinæ credunt, quæ ex illa depromitur, sed eam miraculis &  
signis à nobis confirmari petunt. At quid ad ista Christus?  
*Gens mala & adulterina signum querit, sed signum non dabitur ei, nisi  
signum illud Jonæ Prophetæ, Matth. 12. v. 39. & Luc. 11. v. 29.*

## PARS II.

### DE CHRISTI RESPONSIO, PAR- tim Apologetico partim Parænetico.

18. Vidimus hæctenus primum præsentis Evangelii  
membrum, quod fuit ipsum miraculum, & huic connexum  
spectatorum iudicium, sequitur nunc alterum, nempe Christi  
responsum, quod partim in confutatione, partim dehortatio-  
ne consistit. Priusquam verò illud aggrediamur, minimè ne-  
gligendum est, quod *Marcus cap. 3 v. 23. ὡς ἐν παρόδῳ* annotat.  
Scribit namque: Προσηλαλεσαμεν & αὐτῶς, cum convocasset eos  
(Jesus) dixit &c. Ex quibus perspicuum est, spectatores non  
auscultante Christo inter se ita disceptasse, sed ab eo longiuscu-  
lè semotos de magno illo miraculo sermones miscuisse, quibus  
colloquiis postmodum se interponentes Pharisei ac Scribæ  
diras illas in Christum calumnias, de pacto ejus cum Beelze-  
bub, sparserunt.

*ἡ δὲ εἰσαγωγὴ ἐκ  
Μαρκου.*

19. Jesus

19. *Iesus autem εἰδὼς αὐτῶν τὰ διανοήματα, cum sciret cogitationes eorum, dixit &c. vers. 17. Eccius in Postil. hinc arguit Phariseos non ausos fuisse illam de Christi miraculo blasphemiam ore efferre, sed tantum intus eam cogitasse. Beda verò Phariseos quidem blasphemè etiam locutos esse, ad cogitata tamen Christum solummodò, non ad dicta respondisse autumat, ut vel sic compellerentur credere ejus potentia, qui cordium novit occulta. Verum neutra interpretatio evidentia textus, in primis circumstantia ex Marco modo adducta satis congruit. Proinde quamvis Pharisei & malè cogitarent, & ex invidia pleno proposito, ut populus à fide Christi averteretur, ore cogitationes proderent, tamen dicitur Dominus ad cogitationes respondisse, quia intuebatur illas, quatenus cum dictis conveniebant, quæ Pharisei paululum ab eo remoti effuriebant.*

*Christus quomodo ad cogitata respondeat.*

20. *Habemus interim hic manifestum Divinitatis Christi argumentum; cum solius Dei sit renes & corda scrutari. 1. Sam. 16. vers. 7. 1. Reg. 8. v. 39. Psalm. 7. v. 10. Jerem. 17. v. 9. Luc. 16. v. 15. Act. 1. v. 24. Neque solum corda scrutatur quæ Deus, verum etiam quæ homo propter arctissimam unionem personalem, quippe cum propria virtute viderit hominum arcana, & ut Johannes ait cap. 2. v. 25. non opus ei erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, quia ipse sciebat, quid esset in homine.*

*Est καρδιῶν γινώσκων.*

21. *Cæterum, quia ad proprium Messiaë officium spectabat Dæmonem profligare, iccirco Christus execrandam hostium calumniam, quæ Dei gloria & hominum salus impugnabatur, graviter admodum diluit, evincens se non ex pacto & collusione cum Diabolo, sed propria divina virtute, Diaboloos invitos & frustra reluctantes ejicere, adeoque se esse Dei filium & Doctorem à Deo missum. Argumento autem id serè præstat quintuplici.*

22. *Primum desumit ex eo, quod multorum seculorum ac populorum exemplis comprobatur est: Omne regnum dissidens adversus se, vastatur, καὶ οἶκος ὁ οἶκος πῖναι. Erasmus contra Vallam versionem vulgatam tuetur: Et domus supra domum cadit. Salmeron interpretatur: contra domum. Beza non minus cadit. malè Dæmonia.*

*Christi argumentum ad probandum non se in Beelzebub ejicere malè Dæmonia.*

malè ex collatione Matthæi & Marci interponendum putat  
vocabulum  $\mu\epsilon\gamma\iota\sigma\tau\epsilon\iota\varsigma$ , &  $\text{Ἐπὶ οἶκον}$  vertendum quasi  $\epsilon\varphi' \epsilon\alpha\upsilon\tau\acute{o}\nu$   
hoc sensu: *Domus adversus sese dissidens, cadit.* Ad stipulatur Pa-  
raphrastes Syrus, qui similiter legit:  $\text{בְּיָמֵינוּ יִפְּלֵג בְּפִי הַבַּיִת$   
:  $\text{מִתְפַּלֵּג בְּפִי$  Et domus, quæ contra seipsam dividitur, cadit v. 17.  
Si itaq;  $\text{ὁ σατανᾶς}$  adversus seipsum divisus est, quomodo stabit regnū  
ejus? Quia dicitis  $\epsilon\nu$   $\text{βεελζεβυλ}$  (ponitur  $\epsilon\nu$  pro  $\delta\iota\alpha$  per He-  
braismum, sicut etiam supra vers. 15.) me ejicere Demonia vers.  
18.

*Satanas.*

23. Tenendum hîc de nomine Hebræo  $\text{שָׂטָן}$  Satan,  
quod quidam Latini vitiosè scribunt Sathan; dupliciter illud  
sumi, 1. Generaliter & latè pro omni eo quod Deo adversa-  
tur, atque sic etiam hominibus convenit. Quo sensu Christus  
dicit ad Petrum *Matth. 16. v. 23.*  $\text{ὕπαγε ὀπίσω μὲ σατανᾶ}$   
Et Origen. *homil. 15. in Jesum Nave:* *Satanas, inquit, adversarius di-*  
*citur. Omnes ergò qui adversantur Dei voluntati, satanae possunt dici.*  
2. Specialiter & strictè, quemadmodum & hoc in loco pro Ca-  
codæmone humani generis hoste infensissimo, qui semper &  
Deo & nobis est contrarius. Ita *Zachar. 3. v. 1.* legitur, quod  
Satan ad dextram summi Sacerdotis steterit  $\text{שָׂטָן}$ . LXX.  
habent  $\text{δίαβολος}$ , *Aquila*  $\text{σαταν}$ , *Theodotion*  $\text{ἀντικείμενος}$ ,  
quo vocabulo etiam *Chrysost.* Satanam exprimit *homil. 26. in*  
*post. Epistola ad Corinth.* Videatur *Hieron. in libr. de nominibus He-*  
*brais.* Noster Syrus hîc vocat  $\text{שָׂטָן}$  mutato  $\text{ש}$  in  $\text{ס}$ ,  
quod in hac lingua est usitatissimum.

24. In forma autem totum Christi argumentum (non  
probabile tantùm & solidè nil probans, ut perperam statuit *Calvinus*  
*in Harm. Evang.* sed certum, necessariò verum, doctissimum & po-  
tentissimum, oportuit enim fidei nostræ articulum validissimè confirma-  
ri, ut longè rectius sentit *Heinricus Bullinger. libr. 5. comment. in*  
*Matth. cap. 12.*) potest esse tale: Quodcunque vastationem &  
ruinam affert regnis & familiis, illud non admittitur ab iis, qui  
vel Rempub. vel domesticam salvam volunt, siquidem mani-  
festissimum est & rerum experientia planè comprobatum, re-  
gna, urbes & domos etiam privitas cadere, si intestinis dissen-  
tiant



tiant contentiōibus. Atqui hæc mea opera, ut sunt ejectione  
Dæmonii, prædicatio Evangelii, sanatio infirmorum &c. va-  
stationem & ruinam afferunt regno Satanico. Finis enim in  
his mihi unicus iste est propositus, ut quod Diabolus cupit ædi-  
ficatum, illud ego destruam, quod ipse cupit destructum, ego  
ædificem. Ergo illa opera à Diabolo non admittuntur, nec ipse  
mecum in hisce conspirat, quin potius digito Dei ejicio Dæ-  
monia. Vel potest etiam aliter formari argumentum: Quod-  
cunque regnum intestinis dissidiis scinditur, illud diu consiste-  
re nequit. At, si ego per Beelzebub ejicio Dæmonia, Satanæ  
regnum intestinis scindetur dissidiis. Ergo ipsius regnum  
constare haud poterit. Unde sequitur regnum Satanæ cecidisse  
& nullas amplius habere vires, è contra Dei regnum jam  
advenisse, quod per Messiam instaurandum fore Prophetæ  
prædixerunt. Et huic postremæ argumentationi Christi fa-  
vent verba, quæ ipse subjicit versic 20. Sed ut ut ista accipias,  
finis tamen & scopus nostri Servatoris manet, se esse promif-  
sum generis humani vindicem, qui Diaboli regnum destruere,  
Dei verò instaurare debeat.

II.

25. Alterum argumentum consistit in illis verbis: *Christi ar-*  
*gumentum*  
Quod si ego per Beelzebub ejicio Dæmonia, filii vestri per quem ejiciunt?  
vers. 19. Quidam ex interpretibus veteribus, ut *Hilarius, Chryso-*  
*stomus, contra Pha-*  
Autor imperfecti operis, & ex recentioribus *Augustinus Monachus, in Beelze-*  
*bulum Dæmonia nequa-*  
*quæ ejiciat.*  
*Geilerus Keiserspergensis, Eccius, Cajetanus, Bullingerus, Maldenatus*  
Geilerus Keiserspergensis, Eccius, Cajetanus, Bullingerus, Maldenatus  
Granatensis per filios Judæorum hic intelligunt Apostolos ex  
Judæorum stirpe progenitos, quod illis optimè videatur con-  
venire id, quod sequitur: *Ideo & ipsi judices vestri erunt*, quia  
nempè sedebunt super duodecim sedes judicantes duodecim  
tribus Israël, *Matth. 19. v. 28.*

26. Alii è contra per istos filios intelligunt Exorcistas *Exorcista*  
*Judæorum.*  
gentis Judaicæ seu Phariseorum discipulos, qui ante manife-  
statam Christi virtutem suas in nomine Jehovah exercebant  
adjurationes, sed sine judicio, sine justitia, sine veritate. *Jose-*  
*phus lib. 8. Antiquit. Juda. cap. 2.* scribit, hos formam exorcizan-  
di à Salomone accepisse, quod si verum, oportet tunc esse fa-  
ctum, quando amore mulierum deceptus & excecatus cœpit  
adorare idola, & cum Diabolis amicitiam colere. Quamprim-  
mum

B 3

mum

num verò Christus in carne apparuit, simul omnes præstigiæ Diabolicæ & artes magicæ desierunt, proinde Exorcistæ illis omissis arripuerunt nomen Jesu, & illud adhibuerunt in expellendis Dæmoniis, Neq; eis deerat successus, non quod eorū levitatem Deus valdè probaret, sed ut hac etiam occasione filii sui cognitio latius propagaretur, & veritas Evangelii plus auctoritatis acciperet. Hinc Christus ait de multis impiis, dicturos eos in extremo judicio: *Nonne in nomine tuo Demones eiecimus?* Quamquam ne sic quidem eorum facinus semper successerit, ut ex filiis *Sceve Actor. 19.* liquet, qui cum nefarii exorcistæ essent, & nomine Jesu tantum ad quæstum faciendum abuti vellent, Diabolus potius in eos insiliebat, quàm ut adjurationi obtemperaret, Deo illorum impietatem & hypocrisim hoc modo patefaciente,

27. Atque hæc posterior interpretum sententia priori videtur præferenda. Nam præterquam quod tum temporis cum ista diceret Christus, Apostoli nondum missi fuerant ad prædicandum Evangelium, neque dono edendorum miraculorum instructi, (licet Matthæus ante hanc historiam cap. 10. per *περίληψιν* seu anticipationem, missionem Apostolorum ponat,) quemadmodum id pluribus demonstrant *Jansenius, Salmeron, Barradius,* & quem primo loco ponere debebam, *Dn. Chemnitius;* etiam similem calumniam suos Apostolos passuros pronunciat Christus *Matth. 10. vers. 25: Si Patres familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis ejus domesticos?*

Cur Phari-  
seorum di-  
santur filii

28. Quod verò Exorcistæ à Christo Phariseorum filii nuncupentur, id fit propter Phariseorum a Scribarum doctrinam, quam & ipsi sunt amplexi, & quia Phari- si hos ut filios agnoscebant & probabant, cum e contrario Jesu n detestarentur. Sic olim Prophetarum dicebantur filii, qui eorum doctrinam privato studio addiscebant, *2. Reg. 2. v. 3. s. 15. cap. 4. v. 38.* quoniam qui docet filium socii sui legem, id pro eo habet Scriptura, ac si gigneret eum, quemadmodum est in libr. Hebr. *Sanhedrin cap. 2.* Quò spectat illud *Basilii: Τέκνον ἐστὶ πνευμαλικὸν τῆς διδασκαλίας ὁ μαθητής.* Hinc *Moses Gerunden- sis ad locum Num. 2. Hæ sunt generationes Moysi & Aaronis,* ita infir- *Non*



Non numerat nisi filios Aharonis, & tamen dicit generationes Moysi, propterea quod docuerat eos legem. Nam qui unquam docet socium suum legem, eo loco habet Scriptura, ac si genuisset eum. Ex quibus adhuc nova non levis pro posteriori interpretatione potest deduci ratio, Christum hic per filios Phariseorum non intellexisse Apostolos, cum hi non Phariseos, sed Christum Magistrum in omnibus sint secuti, atque adeo non eorum, sed Christi filii seu discipuli fuisse appellandi.

29. In forma igitur argumentum Christi hoc modo concludit: Si ego per Beelzebub ejicio Dæmonia, necessum est fateamini & filios vestros per Beelzebub Dæmonia ejicere, siquidem mea virtus in meipso minor esse non potest, quam in aliis. Jam verò vestro judicio illi non ejiciunt Dæmonia per Beelzebub. Ergo nec ego. Cujus illationis magna est acrimonia, quia non tantum seipsum excusat Dominus, sed in primis illorum perversitatem & corruptum judicium reprehendit.

30. Præterea comminationem interserit Christus: Ideo illi (filii vestri) erunt vestri judices, vers. 19. scilicet non potestate, sed *Exorcista quomodo phariseorum judices erunt.* comparatione, ut Hieronymus loquitur. Quasi dicat: Putatis quidem omnia vos laturos impunè, cum neque Populus adversus vos de hiscere audeat, neque Magistratus de vobis pœnam exposcat, tamen ipsi Filii vestri, collatis inter se ipsorum & meis gestis, re ipsa condemnabunt vos pravæ φιλαυτίας, invidiæ verò & odii in me concepti, ac perfidæ in Deum blasphemiæ, quod de paribus signis inæqualiter judicetis, & in illis divinæ virtuti, in me autem, in quo illustriora divinæ efficaciam indicia conspiciuntur, Diabolo ascribatis. Accidit hoc impiis omnibus, ut domesticos judices habeant, à quibus damnentur, idque non solum in hoc, sed etiam futuro seculo. Nam in extremo illo censorio die, præter judiciariam sententiam, quam supremus judex Christus de reprobis consensu chori Angelorum & omnium sanctorum hominum feret, Apoc. 6. v. 10. c. 20. v. 4. 1. Cor. 6. v. 2 & c. etiam ipsi damnati, qui nimirum vel minus peccarunt quam alii, vel minores habuerunt conversionis occasiones, aut saltem plures rei bene gerendæ significationes ediderunt, suos complices damnabunt, quod justissimè acerbos cruciatus sustineant.

neant. Quemadmodum Christus Judaicæ exprobrans perfidia, clarè innuit *Matth. 12. v. 41. & 42.* Ostendent ergo & Exorcistæ in illo iudicio Pharisæos credidisse se Dei virtute Demones pellere, idem verò opus in Christo tribuisse Beelzebub propter invidiam.

III.  
Christi argumentum,  
pro signis  
suis Spiritu  
Dei non  
Diaboli factis.

31. Hoc sic posito ulterius progreditur Salvator: *Si digito Dei ejicio Dæmonia, profectò pervenit ad vos regnum Dei, v. 20.* *Matthæus pro ἐν δακτύλῳ Ἰησοῦ habet ἐν πνεύματι Ἰησοῦ.* Hinc pulchrè *Augustin. sermon. 6. de verbis Apostoli:* Nonne, inquit, Spiritus Dei Spiritus sanctus intelligitur? *Lege Evangelium & vide, quia ubi dicit unus Evangelista Domino dicente: si ego in Spiritu Dei ejicio Dæmonia: alius dicit: si ego in digito Dei ejicio Dæmonia.* Videtur autem Christus hac ipsa phrasi respexisse ad illud *Exod. 8. vers. 19.* ubi magi Ægyptii *Jannes & Jambres* (ita namque eos Paulus appellat *2. Timoth. 3. vers. 8.* cum per suas incantationes non possent educere σκνίπων, dicunt ad Pharaonem: *וַיִּשְׁמַע פַּרְוֹ הַמֶּלֶךְ וַיִּשְׁתַּחֲוֶי אֶל הָאֱלֹהִים הַלְלוּיָם* Digitus Dei est hic. Atque hoc pacto manifestum reddidit, Phariseos & Scribas illis incantatoribus obstinatioribus & nequiores esse, quippe cum hi Digitum Dei agnoscerint ex σκνίπων productione, quem tamen eundem sacrilegi Pharisei in Dæmonum expulsionem fateri detrectent.

Digitus Dei  
quid.

32. Sicut verò in Scriptura per brachium & manum Dei juxta sensum simplicem denotatur vis ac potentia Dei, at secundum sensum sublimiorem ipse Dei essentialis filius, *Jesa. 52. v. 10*; ita similiter de digito Dei est accipiendum, nimirum quod secundum simplicissimum sensum significet Dei majestatem & omnipotentiam, secundum sensum autem altiore & secretiore notet Spiritum sanctum in unitate essentia à Patre simul & filio procedentem, in quo æternus ille Λόγος, tanquam proprio suo spiraculo, efficit sua opera, carnem quoque suam, quam ex virgine Maria assumpsit, ejus plenitudine inungens, non ad certum quoddam demensum, sed sine mensura, *Johan. 3. v. 34.* adeò ut Christus etiam secundum humanitatem in miraculorum operatione concurrat, ea virtute, quam Λόγος cum suo Spiritu per essentialem, cum carne verò sua per personalem κοινωνίαν habet communem.

33. Porro

33. Porro Regnum Dei Hieronymus, Autor imperf. operis, Regnum  
Maldonatus, Cisterus, æstimant accipi hic pro ipso Christo, vel  
etiam pro doctrina Evangelica, de qua dicitur: *Auferetur à vo-  
bis regnum, & dabitur genti facienti fructus ejus, Matth. 21. vers. 43.*  
At convenientius explicatur juxta significationem, quam ha-  
bet in Scripturis frequentem & quasi propriam, ut notet re-  
gnum gratiæ, quod Christus in his terris Diaboli regno oppo-  
suit, estque nihil aliud quam specialis ejus bonitatis & miseri-  
cordiæ operatio in Ecclesia, videlicet missio, illuminatio &  
confirmatio Evangelistarum, Apostolorum & Doctorum,  
*Marc. 16. Luc. 24. Act. 1. Eph. 4.* variorum donorum effusio,  
*Matth. 16. Act. 2. & 3. Rom. 12. 1. Corinth. 12. Ephes. 4.* Fidelium  
collectio per Evangelii prædicationem & Sacramentorum dis-  
pensationem, *Matth. 28. Marc. 16. Act. 1.* eorundemque regene-  
ratio, sanctificatio & vivificatio per Baptismum & S. Cœnam,  
*Johan 3. & 17. 1. Corinth. 10. Eph. 5. Tit. 3.* Protectio denique &  
conservatio, *Matth. 28. Act. 23. Apoc. 1. & 2.* Quod regnum  
præter Christum & Johannes prædicavit dicens: *Appropinqua-  
vit regnum cælorum, Matth. 3. v. 2.*

34. Talis itaq; est hæc Christi collectio. Ubi cunq; regnum  
Diaboli novâ & insolentia ratione, & quidem digito Dei destrui-  
tur, ibi non procul esse oportet regnum Dei per Messiam in  
mundo revelandum & administrandum. Expulsio quippe  
unius contrarii est alterius introductio. Atqui prius videtis jam  
à me apud vos fieri. Ergo jam regnum Dei adest, & hoc ad  
vos pervenit. Quo brevi argumento duo agit Servator, Pri-  
mum ut se, per enallagen personæ & metonymiam nominis,  
promissum illud semen mulieris & Messiam esse doceat, qui  
veteris serpentis caput sit conculcaturus, & destructo regno  
Diaboli ipsum Dei regnū instauraturus. Alterū est, quod Pha-  
risæorum ac Scribarum arguat ingratitude, qui incompa-  
rabilem Dei gratiam furiosè aspernabantur, & Christum, ipsis  
regnum suum offerentem, supra se regnare volebant. Quò  
principaliter dirigitur, quod dicit, *pervenit ad vos regnum Dei,*  
*hoc est, ad vos hæc bona jugiter manant. Cur ergo adversus  
vestram salutem arma confertis?*

35. Quar-

IV.  
Argumen-  
tum Christi  
contra Pha-  
risæos suâ  
opera Beel-  
zebub tri-  
buentes.

35. Quartum argumentum positum ab omnib, tribus  
Evangelistis, comprehenditur apud Lucam versic. 21. & 22. Cum  
fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si  
autem fortior eo superveniens viderit eum, universa arma ejus auferet, in  
quibus confidebat, & spolia ejus distribuit. Quibus non solum  
probat, quod imprimis probandum erat, nempe Satanam  
per vim non ejicere Satanam, sed etiam pervenisse jam ad Ju-  
dæos regnum Dei, quod proximè præcedit. Methodicè enim  
Matthæus historiam continuando subjungit: ἢ (quæ particu-  
la sumitur hîc αἰτιολογικῶς pro Nam seu Alioqui, teste Erasmo,  
Salmerone & Francisco Brugensi) πῶς δύναται, quomodo po-  
testi &c.

36. Formaliter autem hæc ratio sic concludit: Quicum-  
que fortis & potentis alicujus domum invadit eamq; diripit,  
cum altero fortiorem esse necessum est, ut invitum & relu-  
ctantem vincere possit. Etenim indies videtis potentem ali-  
quem Dominum tamdiu tranquillè sua possidere castra, donec  
superveniat fortior, qui eum vi abigat subigatq;e. Atqui  
ego domum principis Dæmoniorum invado, hunc vinco &  
constringo, atque illi etiam invito eripio homines, quibus huc  
usque ceu vasis usus fuerat. Ergò illo sum potentior, ac in-  
digito Dei, qui solus fortior est Principe Dæmoniorum, ejicio  
Dæmonia, regnū Dei, fracto regno Diaboli, in vobis instaurans.

Diabolus  
ἰσχυρός.

37. In qua parabolica Christi argumeratione illud  
præcipuè observandum est, quod Dominus Satanam compa-  
ret forti Principi. Vocant enim eum ἰσχυρὸν, quo vocabulo  
LXX. interpretes non rarò expresserunt Hebræum גִּבּוֹר, quod  
alias magnatem & prævalidum significat, ut, Jerem. 9. vers. 23.  
Μὴ καυχᾶσθω ὁ ἰσχυρὸς ἐν τῇ ἰσχύϊ αὐτοῦ. Interdum red-  
ditur per Gigantem, quemadmodum videre est Genes. 6. v. 4.  
ubi de potentibus illis Antidiluvianis agitur, qui suâ tyrannide  
iram Dei attraxerant. Item per Pugnatorem & bellatorem,  
Jer. 20. v. 11. 2. Paral. 13. v. 3. Non malè ergò hæc appellatio as-  
signatur Diabolo, quem & alibi sub Leviathan immanis & in-  
domitæ belluæ marinæ typo Scriptura depingit, ut illius vires  
atque indomitum ingenium declaret, Job. 40. & 41. Hinc simili-  
lis ge-

lis generis plura alia ipsi imponuntur in sacris literis nomi-  
na, ut quod sit ἀρχων τῆς κόσμου, Iohan. 14. v. 30. Θεὸς τῶν αἰώνων  
τῶν αἰώνων, 2. Corinth. 4. v. 4. ἀρχων τῆς ἐξουσίας τῆς αἰῶνος, Ephes. 2. v.  
2. κοσμοκράτωρ, Ephes. 6. vers. 12. λέων ὠρυόμενος, 1. Petr. 5. vers.  
8 &c.

38. Neque nudos possidet titulos sine re, sed habet  
suam αὐλην, ut Lucas, καὶ ἐκίαν, ut Matthæus & Marcus  
efferunt, hoc est, possidet regnum, videlicet mundum, non na-  
turâ sed corruptione, siquidem in iis, qui mundi hujus delitiis  
totaliter addicti cœlestia & æterna bona contemnunt, regnat  
atque triumphat, 2. Tim. 2. v. 26. qui propterea vasa & mancipia  
Diaboli nominantur. Quanquam fortis hujus vasa etiam di-  
cere queamus omnem ipsius armaturam, nempe Spiritus im-  
mundos & machinationes, quibus tanquam mille artifex uti-  
tur ad insidiandum hominibus & ad illos perdendum. Et licet  
infernus Diabolo ac ejus Angelis paratus sit, Matth. 25. vers. 41.  
non tamen in eum protruditur, usque dum veniat ultimus ille  
dies censorius, in quem vinculi æterni sub caliginem Dominus Draco-  
nem reservavit, sicut Judas loquitur in sua Epistola vers. 6. Hinc  
etiam Dæmones rogant Christum, ne eis imperet in abyssum  
ire, Luc. 8. v. 31

39. Deinde & illud hîc observandum, quod Dominus  
se comparet fortiori Principi. Nam major qui in nobis, quam qui  
est in mundo, inquit Iohan. 1. Epist. cap. 4. v. 4. Sicut igitur Dia-  
bolus est ἰσχυρὸς, ita Christus est ἰσχυρότερος, fortis ille est quan-  
tum ad nostram infirmitatem, non quantum ad Christi virtutem, ait  
Auctor imperfecti operis, homil. 29. in Matth. Et sicut Diabolus est  
κοσμοκράτωρ, ita Christus ὁ κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ,  
Hos. 12. v. 5. Hic propter nos & nostram salutem descendit de  
cœlo & homo factus est, venit in mundum, hoc est, in Diabo-  
li domum & aulam, ut opera ejus destrueret, 1. Iohan. 3. v. 5. & ca-  
put contereret, Gen. 3. v. 15. Jesa. 49. v. 24. ne is amplius nobis ullo  
modo nocere posset. Initium certaminis statim à Baptismo  
factum est, ubi Servator cum tribus Scripturarum testimoniis,  
quasi tribus ictibus confodiens gloriosa victoria repulit. Inde  
ulterius cum illo congressus est, quando totâ Judæam & Gali-  
læam

Atrium  
Dæmonis.

Christus  
ἰσχυρότερος.

Ubi, quando  
et quomodo  
modo Dæ-  
monem vin-  
cerit.

læam regni Dei prædicatione complevit. Doctrinæ accesserunt miracula, inter quæ non postremum quod in hac Evangelii-pericope describitur, eò unicè directa, ut Satanæ ex sua possessione magis magisque deturbaretur. Tandem illius jugulum petiit Christus, quando in ara crucis totius mundi peccata expiavit, & *πρωτοπλασαν*, qua maximè confidebat Satan, abstulit, homines verò, quibus eo usque abusus fuerat, ex tyrannide ereptos Deo Patri adduxit, & sanctis Angelis tum fidelibus Doctoribus ceu oves suas custodiendas commisit, *Hos. 13. v. 14. Colos. 2. v. 15. Hebr. 2. v. 14. Johan. 12. v. 31. Marc. 16. v. 15. Ephes. 4. v. 8. & seqq.* Atque hoc est, quod de spoliis distributione ipse in præsentia loquitur. Quamvis quidam hîc rectè moneant, non omnia, quæ in parabolis dicuntur, esse ad res applicanda, sed sufficere principales assumpsisse partes.

v.  
*Argumentum miracula Christi non in Principe Dæmoniorum facta demonstrans.*

40. Ultimò ad majorem suæ innocentie defensionem, adhuc uno argumento, quod quintum esse potest, probat Christus sibi nihil cum Diabolo commercii esse: *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit, vers. 23.* Syrus Paraphrastes utitur Hebraica Anadiplosi ad emphasin in posteriori membro exprimendam. Habet n. *מבדרו מבדרו* *dispergendo dispergit*, id est, omninò dispergit. Cui minor propositio seu assumptio subjei debebat: Atqui Diabolus non est mecum, nec mecum colligit, quod ex factis utriusque comprobatur. Unde sequitur, illum mihi contrarium & nihil nobis commune esse. Verum quia quivis ita colligere poterat, ideo, ut in reliquis rationibus, Christus unica illa sententia contentus esse voluit.

*Quomodo illud Christi verum: Qui non est mecum, contra me est.*

41. Sed circa majoris propositionis veritatem oritur difficultas, quomodo is, qui non est cum Jesu, contra illum sit, cum possit dari tertium, ac Christus ipse alibi dicat: *Qui non est adversus nos, pro nobis est. Luc. 9. v. 50.* Respondent *Chrysostom. Auctor imperfecti operis, Abulensis*, Christum non hic generalem proposuisse sententiam, sed eam (tanquam proverbium tum temporis in populo Judaico usitatum, quod de suo adjicit *Montanus in Scholiis*) tantum ad Phariseos voluisse restrictam, ut in illis solummodò vera esset, in aliis verò locum haberet illud *Luc 9: Qui non est contra nos, pro nobis est.* Verum hæc interpretare;

interpretatio non satis est congrua. Nam licet negari non possit, quod illa Christi ratio contra Phariseos dirigatur, tamen admodum appositè etiam aliis, qui in religionis negotio, vel in utrumque latus claudicant, vel neutri parti sese adjungunt, accommodari quirit. Etenim constituit Christus duos principales & quidem summè contrarios Dominos, se & Diabolum, & sub his totum genus humanum in duas dispescit partes, quarum una sit cum Christo eum verà fide apprehendens, altera contra Christum, quæ ipsum contemnat nec colat, neque datur medium inter amare Deum, & adversari Deo, *Matth. 6. vers. 24. 2. Corint. 6. v. 14.* Mundani quidem Principes, quorum limitatum est imperium, nullam habent jurisdictionem in illos, qui aliis sunt subiecti Dominis, atque idè generaliter dicere non possunt: *Qui non est mecum, contra me est*, possunt enim dari Neutrales, qui neque sint pro, neq; contra, de subditis tamen suis id rectè affirmant, qui nempe obligati sunt ut Dominorum partibus faveant, nisi ipsorum velint dici aut haberi adversarii. Quicumque igitur Deum, *in cujus ditione omnia posita sunt, Esth. 13. v. 9.* non amat, neque Christo servit, necesse est contra Christum mundo, Satanæ & carni serviat, atque sic adversetur Deo.

42. Ad locum autem ex *Luc. 9. cap.* dicimus, Christum *Dictum* non loqui ibi de Neutralibus, sed de infirmis, qui Christi nomen agnoscunt, illud profitentur, & in eo ejiciunt *Dæmonia*. Hi namque non damnandi, sed potius assumendi, & in fide confirmandi sunt, juxta præceptum Apostoli *Rom. 14. v. 1.* Possimus etiam asserere, quod Christus ibi loquatur ex opinione suorum discipulorum, qui existimabant neminem pro Christo esse, nisi qui etiam pedibus Christum sequeretur, quod ex illorum verbis constat, quando dicunt: *Vidimus quendam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui non sequitur nobiscum, & prohibuimus illum.* Ubi Christus: *Nolite prohibere, qui enim non est contra nos, id est, qui eadem nobiscum docet ac facit, etiamsi, quia nos non sequitur, pro nobis esse non videatur, pro nobis est, id est, prodest nobis, meum nomen celebrando.* Ita exponit *Elacius in compend. N. T. glossa ad cap. 9. Marci & Lucæ.*

Christi per  
conversionem.

Relapsi pe-  
jore condi-  
tione sunt,  
quam qui  
nunquam  
fuerunt  
conversi.

Diabolus  
Spiritus  
immundus.

Qua ejus  
requies.

Domus or-  
nata & va-  
sans,

43. **C**eterum absolutam apologiam, quae ex quinque fir-  
missimis argumentis contra Scribarum & Pharisaorum ca-  
lumniam erat extracta, nunc alium orditur Salvator sermo-  
nem παρακαλιτικόν contra securitatem eorum, qui se à potesta-  
te Satanæ liberatos existimabant, prædicendo iis longe tristi-  
simas indurationis pœnas, quod posthac Satan multò poten-  
tius eos occupaturus & agitaturus sit quam antea. Nam reci-  
diva in morbis corporalibus periculosa est, at multò magis  
in spiritualibus. Etiam si verò integra oratio contra Judæos  
videatur esse producta, ut ex Matthæo constat, qui sub finem  
adjicit: *Ita etiam erit huic generationi pessima*, interim quia in illis  
exemplum publicum toti mundo proposuit Deus, iccirco ge-  
neralis doctrina hic continetur, quâ ostenditur, quid omnes  
gratiæ Dei contemptores maneat. Proinde & hanc excutiemus  
diligenter Evangelii pericopen.

44. Sic autem Christus ait: *Cum immundus Spiritus exie-  
rit de homine.* Diabolum vocat Spiritum immundum, quod  
epitheton aliàs sæpius ei in Scriptura imponitur, *Matth. 10. v. 1.  
Matth. 1. v. 26. cap. 3. v. 11. cap. 5. v. 2. 6. 7. v. 25. Act. 5. v. 16. Apoc. 18. v. 20*  
tum ab interna immunditie & malitia, quam quasi naturaliter  
imbibisse videtur, tum ab officio, quia immundarum actionum  
atq; cogitationum est autor, sicut contra SS. & in se talis, & omnis  
sanctitatis autor est. *Perambulatur loca arida quærens requiem*, i. e. ut  
homini noceat. Diaboli quippe unica lux malæ voluntatis quies  
est hominem lædere, cum aliàs tartareis incensus flammis re-  
quiem nullam habere aut quærere possit. *Et non inveniens di-  
cit: Revertar in domum meam, unde exivi, vers. 24.* Non dicit, un-  
pulsus sum, nam id non vult malignus & ἰσχυρὸς Spiritus  
agnoscere, sed quasi spontè exiisset: *Revertar, inquit, mea  
enim stoliditas aut ignavia fuit, quod exierim.* Ita ergò se ani-  
mat, & vires novas colligit ad certamen, miseri que hominis  
de integro oppugnationem. *Et cum venerit, invenit eam, (scilicet  
sæpe non semper) σεσαρωμένον καὶ κεκοσμημένον*, id est, scopis  
purgatam & ornatam, vers. 25. Matthæus adjungit adhuc  
tertium epitheton *εὐλαζοντα* vacantem, ut sensus sit, domum  
Satanæ forinsecus quidem fictitiâ & simulatâ sanctitate pul-  
chram, intus verò bonarum cogitationum vacuum, ut exponit  
venerit.



venerabilis Beda, seu potius fœdis sordibus conspurcatam esse.  
Nam hæc domus ornamenta sunt, quæ requirit Satan, Syrus  
remotâ metaphora planius hanc sententiã expressit:  
יָבֵשׁ וְרֵעָה Invenit eam, quod sit decens & parata.

45. Hieronymus, & qui hunc sequuntur Lyranus, Augusti-  
nus Monachus, Dionysius Carthusianus, Abulensis, Johannes Lopez *Loca arida*  
omnia ista ad allegoriam referunt, & per arida loca intelligunt  
Gentiles olim destitutos omni humore salutarium aquarum  
Sp. Sancti, quibus postea ad Christianam religionem adductis,  
Diabolus non amplius in iis inveniens locum sit reversus ad  
Judæos, quos propter promulgationem legis divinæ linquere  
coactus fuerat. Per domum autem vacantem & purgatam  
scopis, intelligunt Judæorum synagogam jam desertam, &  
Dei Angelorumque præsidio destitutam, ornata verò ἐξελ-  
θῆσθε φαρισαίων Pharisorum. Verum enim verò applicatio hæc  
quidem parabolæ est, non explicatio. Si enim sic in primo  
sensu esset explicanda, cur opus ut adderetur ista apud Mat-  
thæum clausula: *sic erit etiam genti huic pessima.* Statuendum  
igitur potius Christum in duabus illis sententiis loqui de Dia-  
bolo, tanquam de homine καὶ ἀνθρώπου πρὸς τὸν δαίμονα. Nam  
inter homines loca arida, hoc est, deserta & squalida, inepta  
sunt, quæ ab ipsis inhabitentur; Domus autem vacans, ornata  
& purgata, nō solum est parata ad excipiendos homines, sed et-  
iam provocat & invitat ad sui inhabitationem. Quod parabo-  
licè jam Christus accommodat à Dæmonem hoc sensu: Con-  
spicitis quidem manifestò hunc ad Diaboli tyrannide per me  
liberatum hominem videre, loqui & audire, at non arbitre-  
mini eum securum esse debere, quasi non iterum in illam mi-  
seriam possit incidere. Quemadmodum enim homo domo  
suâ pulsus huc illuc per deserta loca vagatur, ut sedem sibi qua-  
rat, quam commodam non inveniens in priorem domum re-  
vertitur, eamque vacuum & à novo habitatore paratam orna-  
tamque reperiens, multo in ea commodius, quam ante cum ex-  
pelleretur, habitat; sic etiam Cacodæmon nullam sibi requiem  
invenit, cum ab homine est expulsus, nisi homo domum suam  
iterum vacuaverit, & Diabolo in seipso locum concesserit.

46. Quod

46. Quod verò additur *vers. 26: Tunc vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, atq; sunt ultima hominis illius deiora prioribus*, intelligendum est juxta literam, nempe quod Diabolus, quando hunc animæ securæ statum in homine animadvertit, eundemque ingratum erga Dei gratiam sentit, inventâ sic commodâ habitatione, à qua semel erat expulsus, alios complures callidiores & potentiores sibi adjungat, (Septenarius enim numerus hic more Hebræorum, pro multis sumitur, certus pro incerto, *1. Sam. 2. v. 5. Jesa. 4. v. 1.*) quibus stipatus invadat iterum locum pristinum, sive quod inventa commoditate solus nolit frui, sive potius ne de novo inde pellatur. Quo sanè pacto *hominis illius*, qui scilicet à Dæmone liberatus se rursus ejus servituti addixit, *ultima, multo fient pejora*, hoc est, calamitosiora & miseriora *primis*. Ita Judas Ischariot ex mundo ad Apostolicæ perfectionis apicem à Christo evocatus, in totius mundi maximum incidit flagitiū, amore nimirum pecuniæ vendendo proditoriè Dominum ac creatorem suum. Locum hunc etiam interpretatur Apostolus *Petrus 2. Epist. 2. v. 20. & 21.*

*Ratio triplex cur recidivantes peccatores agrius curentur.*

47. Sed cur ejusmodi peccatores recidivantes pejores sint difficilisque curentur, ratio potest dari triplex. Prima est in Diabolo, qui magis anxiam ceterorum hominum gerit curam, omnia salutis consequendæ media avertens, ut neque aliquid videant neque audiant, quod animum ad salutarem compunctionem possit permovere, *2. Corinth. 4. v. 3. & 4.* Secunda est in ipsis peccatoribus, qui suo relapsu conduplicant malum, *1. vires suas per peccatum ita enervando, ut difficilimè resurgere valeant. 2. iniquitatis dulcedine, quam sicut aquam biberunt Job 15. v. 16. sese ita oblectando, ut suavissimè in ea perseverent.* Unde *Jeremias* eos comparat partim cum *Æthiopiis*, qui terram suam mutare haud possint pellem, partim cum meretricibus nolentibus erubescere, *cap. 3. v. 13. & 6. v. 13. vers. 24.* Tertia ratio est in Deo, qui tales peccatores sibi & Satanæ relictos permittit cupiditatibus suis, & sinit eos ire in adinventum quam justus iudex eos Satanæ executori divinorum judiciorum tradit, *Psalms. 35. v. 5. & 109. v. 6. 1. Sam. 16. v. 14. 1. Reg. 22. v. 22.*

vers. 22. Ubi tamen fideliter tene regulam B. Augustini sermon.  
88. de tempore: Nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab  
homine deseratur.

PARS III.

DE MULIERIS PRÆCONIO, ET  
ad hoc Christi monito.

48. Narravit hucusque Lucas, quomodo Salvator so-  
lidā & acerrima concione blasphemantium calumniam refu-  
tarit, gravesque pœnas denunciavit iis, qui in omni securitate,  
non sine ingratitude erga Deum ob accepta beneficia, vitam  
agunt, ut si fortè adhuc sanabiles essent, illis auditis de emen-  
datione seriò cogitarent. Quia verò in illo auditorum cœtu  
fuerant aliqui simplices quidem & dolo carentes, qui tamen  
se omni officio abundè defunctos putabant, si Christum pedi-  
bus sequerentur, verbum & conciones ejus audirent, & mira-  
cula quæ plurima edebat, admirabundi spectarent, hinc ulte-  
rius explicat, quomodo Salvator & hos plenius instruxerit, &  
veram beatitudinis consequendæ rationem docuerit. Et hæc  
historia à solo Luca describitur, estq; una ex illis, unde ejus in-  
gestis Christi enumerandis diligentia commendatur, quamvis  
ab Irenæo lib. 3. cap. 14. prætermissa sit.

Cohærentia  
cum praece-  
dentibus.

49. Ἀφορμὴν huic doctrinæ à Christo propositæ dedit  
mulier quædam, quam Evangelista expressè non nominat. Un-  
de eam ignotam, obscuram atque plebeiam fuisse arguunt  
Ludolphus Carthusiensis, Maldonatus & Costerus, præsertim, quia de  
turba vocem extulisse dicitur. Lyra tamen Augustinus Monachus,  
Dionysius Carthusianus, item Guillelmus Parisiensis olim Professor  
eam putant fuisse Marcellam, Marthæ sororis Lazari ancillam,  
sed hoc est fabulæ similitimum, in primis quod Costerus de mira-  
culosa hujus ancillæ navigatione ex Legendis suo more re-  
fert. Hæc jam mulier miraculorum & sermonum Christi ad-  
miracione abrepta se continere non potuit, quo minus Scribis  
& Pharisæis Dominum tentantibus & blasphemantibus, ipsa  
eum publicè celebraret. Clamat igitur: Beatus venter qui te  
portavit, & ubera quæ suxisti vers. 27. Quibus per Synecdochen  
D . . . . . partis

Mulieris de  
Christo tes-  
timonium  
publicum.



partis pro toto Mariam virginem describit, & eam beatam dicit, non per seipsam, sed quod talem & tantum virum protulerit & aluerit. Est alias hoc innatum omnibus parentibus, præcipue matribus, ut se beatas existiment, si habeant laudatam prolem, unde ejusmodi sententia laudatoriae prophanis quoque Scriptoribus non prorsus inusitatae fuere, ut ex illo Poetae patet:

Virgil. 1. 5  
10. Aeneid.

*Felices talem quæ te genuere parentes.*

Inter Judæos tamen frequentius audiebantur, qui sciebant felicem & laude dignam sobolem, inter Dei benedictiones non postremo loco haberi. Ita R. Juchannan filius Zaccai cum ex discipulis suis unum laudare vellet, hisce usus fuisse dicitur verbis: *אשרי יולדתו*, *Felicem illam quæ te genuit*, citante Tremellio ex Talmudico tractatu פירקי אבור. Huc spectat istud Mariæ: *Beatam me dicent omnes generationes*, Luc. 1. v. 48.

50. Præterea Tertullian. lib. de carne Christi, & lib. 4. contra Marcionem, Christum verum habuisse corpus, quod Marcionitæ negabant, ex hoc loco probat, quia nimirum venter ipsum portavit, uberaque lactaverunt. Beda etiam contra Apollinaristas exinde disputat, qui Christum non ex Maria carnem sumpsisse, sed eam è cælo secum attulisse astruebant: *Si enim, inquit, carer, qui cum portasset, & ubera quæ lactassent, beatificantur. Quæ verè consequentia ejus lacte credatur nutritus, ex cujus semine negatur conceptus, cum ex unius & ejusdem fontis origine, secundum Physicos, ut ergi vigor manere perhibeatur?*

Christi

ἐπιαιόγιστος

51. Sed quid ad illud mulieris pronunciatum Salvatoris? Quinimò beati, inquit. In Græco est *μενέωρε*, quæ particula adversativa est simpliciter nec affirmans nec negans quod dictum fuit, sed inferens quod est certius, monente Erasmo in hunc locum, & Jansen. in Harmon. Vide Roman. 9. v. 20. & cap. 10. v. 18. Augustin. lib. de Virgin. & tract. 10. in Johan. legit Immo. Euthymius exponit *Vere dico vobis*. Syrus omisa particula utitur nomine cum affixo, *טוביך* Beati illi. Unde hoc colligimus Christum sua hac ἐπιαιόγιστος non in totum negare vel reprehendere præconium mulieris, quod tamen post Melchiorem Hofmannum

Hofmannum Anabaptistam, (de quò videri potest *Anabaptismus*  
D. Wigandi.) confidenter scribere non veretur Calvinus in *Harm.*  
*Evangel.* sed solummodò illud ex parte voluisse corrigere, po-  
tiorè & certiorè beatitudinis rationem subjungendo.  
Magis namq; beata fuit mater Christi, quòd mente, quàm quòd corpore  
eum concepisset, ut Augustinus loquitur d. 1. de *Virgin.* Hinc Elisabetha  
ad Mariam: *Beata, quæ credidisti, Luc. 1. v. 45.* Verè ergo beati  
sunt, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud, vers. 28.

§ 2. Notanter & prudenter dicit: Qui audiunt & custo-  
diunt, quia neutrum sine altero nos beatificare potest. Audire  
tamen ordine præcedit, quia *Fides est ex auditu, Roman. 10. vers. 17.* *angelii fi-*  
post subsequatur sermonis Dei custodia, quæ, ut *Euthym.* scribit, *delic.*  
ejus ex adimpletio. Et audire, non verò custodire, majorem  
affert condemnationem quàm gloriam, neque sufficit ad tem-  
pus conservare, sed continuatione opus est ac perseverantia,  
quæ innuitur verbis præsentis temporis, *Audiunt & custodiunt.*  
Quò spectat gravis sententia *Petr. 12. Epist. cap. 2. v. 21.* *Melius fuisset*  
*illis non cognovisse viam justitiæ, quam cognita illà regredi à sancto man-*  
*dato ipsis tradito.* Confer parabolam Christi *Matth. 7. vers. 24. &*  
*seqq. Roman. 2. v. 13. Jacob 1. v. 22.* Item Christi dictum *Joh 14. v. 21:*  
*Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* In quæ  
verba ita scribit Augustin. *Qui habet in memoria, & servat in vita;*  
*qui habet in sermonibus, & servat in moribus; qui habet audiendo, &*  
*servat faciendo: aut qui habet faciendo & servat perseverando, tract.*  
*75. in Johan.*

Vera beatis-  
tudinis via  
auditio est  
angelii fi-  
delis.

## QVÆSTIONES CONTROVERSÆ ex hoc Evangelio.

### QVÆSTIO I.

An Quadragesimale tempus reliquis anni  
temporibus sit sanctius?

Ea est Lojolitarum & Papæ conjuratorum Scripturas per-  
versè interpretandi, & quidvis ex quovis colligendi facultas,  
ut ingenium & naturam Spiritus perversitatum eos planè im-  
bibisse perspicuum sit. Specimen istius nobis præbent etiam

*Papista  
affirmativā  
tenent.*

in præsentis Evangelii expositione. Nam dum ibi legunt historiam de ejecto ex homine Dæmone, quam veteres non sine causa Dominicā Oculi, & sic circa initium Quadragesimæ in Ecclesia proponi voluerunt, statim inde concludunt, hoc tempus, quo etiam jejunium per 40. dies continuari volunt, cæteris anni partibus longè esse sanctius, & speciali ratione plurimum valere ad Dæmonem ejiciendum, carnem subigendam, iram Dei placandam, præmium cœlestis promerendum &c.

Sic enim Ludovicus Granatensis Dominic. III. Quadrages. cont. 1. *Spiritualibus*, ait, *hospitiis commutandis Quadragesimæ tempus destinatum est, quæ quidem mutatio nisi hoc tempore fiat, quis eam in reliqua anni parte, quæ ad hoc MINUS IDONEA est, sperare poterit? Ita fiet, ut sub Diaboli potestate consequenti adhuc anno miserabilis homo permaneat.* Similem sententiam affert Hieron. *Baptista de La Nuza tract. 1. de apta. Quadrages. instit. p. 87. Costerus quoque cont. 3. Dominic. III. Quadrages. pag. 104: HOC SACRATISSIMO TEMPORE*, inquit, *Mariæ omniumq; beatorum spirituum intercessionem nunquam non expetamus.* His adjuget quæ Bellarminus habet *lib. de jejunio cap. 11. & 16.* ubi etiam aliquot Physicas & Politicas recenset commoditates, propter quas hoc anni tempus omnium ad res sacras aptissimum.

*Refelluntur  
ab Apostolo.*

¶ Sed quàm periculofum & perniciosum hoc sit dogma, ostendit jamdudum ipse Apostolus ad Galatas hæc scribens: *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos, metuo de vobis, ne frustra laboraverim apud vos, Galat. 4. v. 10.* Ubi quidem Apostolus non improbat discrimina temporum vel in natura, vel in civili vita, vel in re Oeconomica, vel etiam in Ecclesia, salvâ libertate Christianâ permanente; reprehendit interim acriter superstiosam dierum & mensium observationem in Ecclesia, cui videlicet assuitur opinio singularis gratiæ divinæ, meriti, cultus & necessitatis, qualis est, quam tantoperè urgent Pontificii. Quamvis enim temporum quædam discrimina olim ad cultum Dei ceremoniale pertinerint, & Judæorum conscientias ex lege constrinxerint, tamen Christo exhibitæ religionem in his amplius ponere temerarium & libertati Christianæ planè contrarium est. Huc spectant Christi effatum

effatum Matth. 15. v. 9. & alia Apostolica admonitiones, Gal.  
5. v. 1 Rom. 14. v. 5. Coloss 2 v. 16.

Deinde ratio adversariorum de Christi miraculo hoc <sup>Utuntur</sup>  
tempore facto valde est frigida. Nullus namq; dies est in toto <sup>argumento</sup>  
anno, quo non aliquid memorabile à Christo vel Apostolis sit <sup>infirmo.</sup>  
dictum aut gestum. Ergò juxta hanc rationem sequeretur  
non certis, sed singulis potius diebus & jugiter Dei gratiam &  
Christi (non Mariæ vel beatorum spirituum, quod inferius  
contra Costerum demonstrabitur) intercessionem nobis seriò  
expetendam esse. Et hoc sanè magis cum piorum officio  
convenit, qui *in omni loco orare* 1. *Timoth. 2. vers. 8.* & *DEUM*  
*תמיד תפלה* *in omni tempore semper laudare debent, Psal. 34.*  
*vers. 2.*

Denique undè probabunt Pontificii hanc expulsionem <sup>Nituntur</sup>  
Satanæ tempore Quadragesimali factam esse? Certè Luthe- <sup>falso pra-</sup>  
masti *Eccius* longè aliud in frontispicio suæ concionis prodit, <sup>supposito &</sup>  
dum inquit: *Diese Historia ist geschehen / als der Herr Jesus* <sup>sibi contra-</sup>  
*als was ein vnd dreyssig Jahr / am ersten Tag des Christmonats.* <sup>rio.</sup>  
Quemadmodum etiam Christus suum jejunium in deserto,  
(quod ex quadam *κακοζηλία* cum opinione cultus & satisfa-  
ctionis imitandum censent Papistæ, unde Quadragesimale je-  
junium appellitant) non mense Martio, sed sexto Januarii  
die cœpit, teste *Baronio* & hujus epitomatore *Bisciola*. Aut ergò  
Pontificii suam Quadragesimam ad Decembrem & Januarium  
transferant, atque sic hanc anni partem Martium & Aprilem  
Menses, in quibus hodie suum Quadragesimale jejunium per-  
agunt, minus ad vitæ renovationem idoneam statuunt, aut nul-  
lam commentitio suo argumento inesse consequentiam con-  
cedant. *Consule Dn. D. Chemnitium part. 4. Exam. Concil. Trident.*  
*pag. 147. & seqq.*

## QVÆSTIO II.

Au auricularis confessio, quâ omnia & singu-  
la peccata ministro Ecclesiæ enume-  
rantur, sit necessaria?

D 3

Qui

*Pontificiorum in hoc negotio insolentia.* Qui semel veritatis limites transilierit, eum graviter oportet esse impudentem, ait Eloquentiæ Magister. Exemplo id suo comprobant Romanenses, qui in doctrina de potestate Ecclesiastica, item de pœnitentia tam longo intervallo à veritatis tramite abscedunt, ut etiam animis & conscientiis hominum Christianorum ab omni servili jugo liberatorum lamentabiles compedes injicere non erubescant. Etenim contendunt homini pœnitenti necessarium esse, sub ipso salutis periculo ut omnia peccata, in specie & sigillatim, explicatis singulorum circumstantiis, & excussis universis conscientiæ latebris, confessionario suo enumeret & exponat.

Ita namque statutum legitur in *Jure Canonico ex Concilio Lateranensi de pœnit. & remiss. peccat. C. omnis utriusque*: Qui ad annos discretionis pervenit, si non confiteatur omnia sua delicta semel in anno proprio suo sacerdoti, arcetur vivens ab ingressu Ecclesiæ, & caret moriens Christianâ sepulturâ. De qua materia adhuc durius extat decretum *Concilii Tridentini*, citante & approbante *Bellarmino lib. 3. de pœnitent. cap. 2. & Luca Pinello lib. 2. de pœnitent. cap. 1. & 2.* Immo ne quid impudentiæ desit, ex hoc nostro Evangelio Pontificii. Ita enim *Th. Stapletonus D. Angelus* ad illa verba: *Et erat Demonium mutum*, infert: *Quam multi ad deliberandum in causis humanis facundissimi, ad peccatorum suorum confessionem Sacerdoti Dei faciendam penitus elingues sunt, & tanquam parvuli non valentes loqui. Hos Diabolus mutos fecit non natura. Vocatur Diabolus in Apocalypsi Accusator fratrum, qui accusat nos in conspectu Dei die ac nocte, sed illa peccata, quæ hic confessi fuerimus Deo & Sacerdoti ejus, accusare non potest, cetera omnia accusabit. Iisdem ferè verbis utitur Ludovic. Granatensis, conc. 3. in Dominic. III. Quadrag. p. 635: Multi, inquiens, pœnitentes vix unum aut alterum crimen post totius anni spatium detegere sciunt, sed cuncta confessario indaganda committunt. Unde verò hoc tam altum silentium? Nimirum, quia Demon illos mutos atq; elingues ad sua crimina detegenda reddit, quos ad committenda disertissimos fecerat. Et paucis interjectis: Fit, ut cum nec pœnitentes peccata exponere sciant, nec interrogare confessarii aut velint audire, illi eisdem peccatis onusti domum redeant, quibus ante venerunt.*



Etiam si confessionem Ecclesiasticam, quâ pœnitens  
 juxta morem hujus vel illius Ecclesiæ coram ministro ordi-  
 nario generatim, quandoque etiam speciatiim, conscientia po-  
 stulante, peccata sua aperit & eorum absolutionem petit, cum  
 Calvinianis non damnemus, sed potius tanquam utilem &  
 bonam. 1. ad juniorum informationem, 2. ad privatam ad-  
 monitionem & synaxeos usum præparationem, 3. ad anxia-  
 rum conscientiarum pleniorum consolationem, 4. ad  
 specialiorum remissionis peccatorum certitudinem,  
 5. ad dignitatis vel indignitatis ad sacram Cœnam  
 accessuri explorationem, in nostris Ecclesiis retinendam cum  
 August. Confess. art. 11. & 4. de abusibus constanter statuamus; ta-  
 men Pontificiorum illam Sacramentalem, ut vocant, & clancu-  
 lariam confessionem, quâ omnium peccatorum etiam occul-  
 tissimorum exactam & circumstantiarum numero comple-  
 tam, necessario, & sub ipso salutis discrimine faciendam enu-  
 merationem exigunt, tanquam conscientiarum carnificinam  
 simpliciter improbamus, hisce moti fundamentis:

1. Quia in Scriptura nullum habet verbum vel man-  
 dati, vel promissionis, vel etiam exemplum. Sicut ipse Panor-  
 mitanus, postquam prolixè disputasset super c. Omnis utriusq;  
 tandem concludit, auricularem seu sacerdotalem confessionem  
 non divini, sed humani juris esse. Idem confirmat gloss. Juris Cano-  
 nici. Vid. D. Oslander in Papa non Papa. Quod verò Granatensis &  
 Stapletonus ex præsentis Evangelio rethoriciantur, & quia ibi di-  
 citur Dæmonem reddidisse hominem mutum, argumentum  
 inde suum nectunt, in eo temerè petunt principium ex falsa ni-  
 mirum hypothese, quasi omnia peccata sacrificulo confiteri  
 ore, vel ad Dei gloriam illustrandam, vel ad nostram salutem  
 consequendam sit necessarium, tum enim ejusmodi reticentia  
 esset malo genio ascribenda. Immò sæpius Diabolus homines  
 loquaces quam mutos facit, & loquendo multa peccata committun-  
 tur, quæ tacendo evitantur, ait Barradius in Harm. tom. 2. lib. 8. cap.  
 15. Hinc Apostolus Jacobus linguam τὸν νόμον τῆς ἀδικίας  
 nominat cap. 3. Epist. v. 6. Conter Johannem Lopez Pontificium  
 pluribus ex Scriptura & Patribus pro nostra sententia dispu-  
 tantem tom. 3. L. C. Dom. 3. Quadrag. pag. 360.

Confessio ad  
 liqua pri-  
 vata contra  
 Calvinia-  
 nos in Ec-  
 clesiis reti-  
 nenda.

Clancula-  
 ria pecca-  
 torum con-  
 fessio Papis  
 sicareji-  
 citur quia  
 I.

Non neces-  
 saria neque  
 in verbo  
 mandata.

Evangelio Stas  
 pletoni &  
 Granatensis  
 solvitur.

2. Ad



2. *Impossibilis.* 2. Ad impossibile hominem obligat. Nam & David vir sanctus & secundum cor Dei, post accuratam meditationem suorum peccatorum exclamat: *Delicta quis intelligit? Psal. 19. v. 13. ab occultis meis munda me Domine. Et Psalm. 38 v. 5: Iniquitates meae transierunt super caput meum, & sicut onus grave gravatae sunt ultra vires meas.* Et alibi saepius confitetur, se suorum peccatorum supputationem inire non posse, sed è profundo malorum conqueritur, obrutus sum, sepultus sum & suffocatus, immersus sum alto puteo. Præterea ipsa experientia testatur, neminem intelligere quàm saepè & variè peccet, & profundiores esse malorum in hominibus recessus, quàm quos penitus excutere possint. Unde sacrificia in V. T. pro peccatis ignorantiae instituta fuerunt,

3. *Absurda.* 3. Evangelium in legem convertit, peccatorum videlicet remissionem non referendo ad solam fidem Christi meritum apprehendentem, sed ad opus humanum, nempe ad peccatorum plenariam confessionem, ex qua eternam mortem aut vitam pendere ait impiè *Granatenfis.*

4. *Superstitiosa.* 4. Meritum Christi sufficientissimum evacuat. Fingitur enim talis confessio ab iis meritoria ad culpæ remissionem, pœnæ diminutionem, Paradisi apertionem, ut Scholastici loquuntur, cum tamen aliud nomen sub cælo non sit, in quo nos salvari possimus, præter nomen Jesu, *Act. 4. v. 12.*

5. *Ministerio Ecclesiastico adversa.* 5. Potestatem ministerialem permutat in *αὐτεξουσίαν* sive judiciariam. Urgetur siquidem in Papatu ejusmodi confessio etiam in hunc finem, ut confessarii, tanquam iudices, pœnitentibus convenientes satisfactiones ad peccatorum expiationem imponere possint, Nam pœnitens, qui rei personam sustinet, paratus esse debet, satisfactionem, quæcumq; illi in hac vita à confessario tanquam iudice imponetur, persolvere, verba sunt Jesuitæ *Pinelli lib. 2. de pœnit. cap. 2.* At verò ministrorum verbi officium est, non ex judiciaria quadam potestate in occulta *ὡς ἐγγύς* inquirere, & cognito crimine sententiam ferre, omne namque iudicium pater concessit Christo, *Johan. 5. v. 22.* sed incumbit iis annunciare remissionem peccatorum, hoc est, ad singulos resipiscentes & in Christum credentes specialis gratiæ promissionem applicare, & animis tentatione quadam aut scrupulis pressis

pressis consolationem adhibere, vel etiam incredulis peccata  
retinere, Matth. 10. v. 1. cap. 18. v. 18. Marc. 3. vers. 13. Luc. 9. v. 1.  
Johan. 20. vers. 23.

6. Conscientias in dubitationem & desperationem ab-  
ducit. Si enim peccatum non remittitur, & à Diabolo, qui <sup>6.</sup> *Pernicioso.*  
juxta Stapletonum & Granatensem ejusmodi hominem mutum  
reddidit, in conspectu Dei accusatur, nisi Sacerdoti aperiat, tum  
nemo sibi veniam certò polliceri potest, quia ignorat, num  
peccata singula sit confessus. Quinimò si infirmus, quispiam  
propter imbecillitatem loqui non possit, signum autem ali-  
quod edat veræ contritionis, quo se peccasse significet, ac ab-  
solutionem petat, tamen eum absolvi non posse mordicus pro-  
pugnant Soto, Ledesma, Cenus & Navarrus. Atq; sic hæc salutaris  
confitendi medicina, ab imperitis & importunis medicis, multis inutilibus  
tradunculis infecta & contaminata est, quibus conscientias, quas ex-  
tricare & levare debebant, laqueos injecerunt, & tanquam tormentis  
quibusdam excarnificarunt, ita ingemiscit nobiscum Georgius Cas-  
sander Scriptor Pontificius contra Pontificios in consult. August.  
Confess. pag. 109.

### QVÆSTIO III.

An miracula in Ecclesia Romana apud San-  
ctorum sepulchra facta, Dæmoni  
sint ascribenda?

Si finem miraculorum, quæ apud se in Monachorum claustris  
& Sanctorum sepulchris adhuc hodiè fieri jactitant Pontificii,  
attendamus, qualis est, ut homines à vero Dei cultu abalie-  
nentur, & ad mortuorum invocationes, satisfactorias peregri-  
nationes, aliasque præter & contra Dei verbum superstitiones  
abducantur, aliter definire non possumus, quàm à Diabolo ea  
proficisci, & Ecclesiam Romanam, quàm talem, regnum esse *Afirmatio*  
Antichristi, cujus adventum futurum prædixit Apostolus se- *va, præcuna*  
cundum operationem Satane, in omni divitiis, & signis & prodigiis *te Scriptura*  
mendacibus, 2. Thessal. 2. v. 9. At hanc nostram ex Scripturæ fun- *asseritur.*  
damentis extructam de ejusmodi miraculis sententiam,  
E *Ib. Sta.*

Sed impu-  
gnatur ra-  
tionibus  
quatuor à  
Stapletono.  
1. Ratio.

Th. Stapletonus blasphemiam & horrendam calumniam vocat in-  
Prompt. Cathol. Dom. 3. Quadr. sect. 1. Et ne nudè id affirmare vi-  
deatur, quatuor insuper rationes in contrarium enumerat,  
quas jam ordine excutiemus.

Prima est: Nihil aliud hic faciunt hæretici, quam quod Christus  
Ecclesie suæ hostes facturos prædixit. Si Patremfamilias Beelzebub  
vocaverunt, quanto magis domesticos ejus. Idem hoc repetit Fran-  
Costerus conc. 3. Quadr. pag. 120.

β. Assumunt παραλόγως Adversarii pro confesso  
ipsum κεινόμενον & quod est in quaestione, quasi nempe illi,  
qui Pontifici Romano addicti ejus characterem suscipiunt, sint  
Christi domestici, cum tamen illos Antichristi subditos pro-  
nunciet Scriptura, Apoc. 13. v. 16. Præterea dum falsorum in Pa-  
patu miraculorum, quæ & divinæ gloriæ, & ædificationi pro-  
ximi, & nostræ salutis contraria sunt, Diabolum autorem faci-  
mus, non imitamur Christi hostes, sed ejus ministros fideles,  
immò ipsum Christum, ut patet ex Matth. 3. v. 6. cap. 7. v. 15. c. 12.  
v. 39. Johan. 8. v. 44. cap. 10. v. 8. Act. 13. v. 10. 2. Corin. 11. v. 13.  
Philipp. 3. v. 18. 2. Timoth. 3. v. 2. &c.

2 Ratio.

Deinde (pergit Papilla) responderi potest cum Christo: Omne re-  
gnum in se divisum desolabitur, & si Satanas Satanam ejecit, quomodo  
stabit regnum ejus? Romana enim Ecclesia omnes hereses, quæ sunt opera  
Diaboli, etiam in statu Antichristianismi, quem ponunt hæretici, damna-  
vit, ejecit & profligavit, si ergo id fecit virtute Diabolica, Satanas Sata-  
nam ejecit. Quomodo ergo stetisse potuit regnum Romani Antichristi, ut  
hæretici blasphemant? Hæc singula inveniuntur quoque apud  
Coster. conc. 3. pag. 135.

Sed facilis est & hujus argumenti solutio. Distinguiamus  
inter Ecclesiam Romanam, quæ talem, seu quatenus conside-  
ratur juxta doctrinam sibi propriam, & à sacris literis dissen-  
tientem, & inter eam, quatenus præter sua corruptissima Anti-  
Christiana dogmata adhuc Biblica non planè rejicit, sed mul-  
tos Scripturæ textus in puro suo vigore retinet. Priori respectu,  
quicquid præstat, id totum ut ad Christi regnum destruendum,  
& ad Antichristi propugnandum spectat, ita Dæmoniorum,  
doctrinæ assignatur 1. Timoth. 4. v. 1; posteriori verò respectu,  
quicquid boni vel ad redarguendos hæreticos, vel Ethnicorum  
idolo-

idolomaniam evertendam, hominumque conversionem promovendam ab Ecclesia illa oritur, id divinæ virtuti atque efficaciam unice acceptum refertur. Fieri namque potest, ut etiam pessimus medicus bonum & salutare interdum alexipharmacum ægrotanti porrigat. Ita *Paulum Novatianum* hæreticum, verum edidisse miraculum vult ipse *Bellarmin. lib. 4. de notis Eccles. cap. 14. sed non in confirmationem fidei Novatiani, sed Catholici Baptismi.* Probè ergo discernendum Christianum ab Antichristiano, preciosum à vili, verum à falso, bonum à malo, rectum ab obliquo, genuinum ab adulterino. Cæterum in tantum abest Ecclesiam Romanam omnes hæreses profligasse, quin potius plures invexerit, propagaverit, & in multis confessoribus, qui fortè adhuc suos nævos habuerunt, ipsam veritatem oppugnaverit, quemadmodum exempla *Wiklefi, Waldensium, Husi* & aliorum testantur. Proinde etsi diutinè stetit Papæ Romani regnum, tamen stetit, Deo ita ex justo judicio permittente, secundum vaticinia in Scripturis expressa, ejusdem Spiritus operatione, quo Judaica & Turcica religio stetit, *Matth. 24. v. 24. 2. Thess. 2. v. 11. & 12.*

Tertia ratio hisce proponitur: *Responde hæreticos hodiè* <sup>3. Ratio Stapletoni.</sup> *Sanctorum miracula ideò non credere, quia Sanctorum fidem non habent, ut de Arianis scripsit Ambrosius libr. Epist. 10. Epist. 85. At alio Spiritu præditi sancti Patres miracula ad sanctorum monimenta & invocationem facta, attestari fidei nostræ docuerunt, &c.*

Multis de causis argumentum hoc vanitatis argui potest. 1. Manifestum crimen falsi committit adversarius, dum in Epist. seu sermone *Ambros. 85. libr. 10.* quem locum citat, illa sententia planè non appareat. 2. Si vel maximè in alia quadam Epist. seu sermone inveniretur, tamen vitiosa fit collectio à miraculis in primitiva Ecclesia exhibitis, ubi Evangelium nondum erat in mundo receptum, ad miracula nostrorum temporum, sicut *Augustin. quoque monet libr. 22. de C. D. cap. 8. Nam tunc utiliter fiebant miracula, sed nunc utiliter non fiunt, Chrysostomus homil. 6. in 1. Corinth. 3. Notum est, quid de Epistolis & sermonibus, Ambrosii tom. 3. inclusis sit sentiendum, nempe quod multa in iis sit suppositicia, non diffidente Baronio tom. 3. annal. Anno 388. sect. 77. & Bellarmin. tom. 4. lib. 2. de Bon. Oper. c. 15.*

Unum potest admodum evidens notari. *In Epist. 82. ad Ver-*  
*cellenses* fit mentio Venetiarum, quæ tamen civitas post Am-  
brosii mortem demum ccepta est ædificari, ut demonstrat *Pos-*  
*sevinus. 4.* In genere de Patrum lectione teneatur regula *Basi-*  
*lii*, quam habet in moralibus: *Oportet auditorem probare omnia:*  
*quæ à Dd. dicuntur, & quæ Scripturis consona sunt suscipere, & quæ*  
*aliena rejicere.*

¶ *Ratio.*

Videamus nunc quomodo concludat Stapletonus: *Sic*  
*apud Sanctos Christi & nomine Christi, virtute tamen Diaboli miracu-*  
*la fierent, ut blasphemant hæretici, quid aliud sequeretur, quam ut vel*  
*Diabolus sua virtute Christum & Sanctos honoraret, vel ad Christi no-*  
*men invocatum Diabolus virtutem suam exerceret? Quod absurdum &*  
*impium.*

Iterum suam proterviam prodit Papæ mancipium, ex  
tribus falsis hypothesibus suum argumentum extruendo, 1.  
quasi nomen Dei & Christi non possit assumi in vanum. Con-  
trarium habes supra th. 26. & sequent. quæst. 4. 2. quasi omnia  
illa miracula, quæ apud Sanctorum sepulchra fiunt, sint vera,  
cum tamen vera miracula fiant per apertam & seriam Dei invocationem,  
Dæmonis verò ludibria illis absque, abditis, vanis, ridiculis aut supersti-  
tiosis precibus vel signis, quæ sunt verba Martini Delrio Jesuitæ lib.  
2. *Disquis. Magic. quæst. 7.* 3. quasi ad ædificationem veræ Ec-  
clesiæ & honorem Christi faciant, quod tamen falso assumi  
ostensum est. Addo quod apud sepulchra Sanctorum non tam  
Christus, quam ipsi mortui homines invocari soleant, sicut  
precatum libelli hac de re à Pontificiis editi, & ipsa praxis  
evincunt, contra luculentam tamen Scripturæ dictam, *Roman. 10. v.*  
*14. Ephes. 3. v. 12. 1. Timoth. 2. v. 5. Hebr. 9. v. 24. 1. Johan. 2. v. 1.* Vide  
etiam quæ prolixè contra Stapletonum disputavimus *Domin. 3.*  
*Advent. part. 3. quæst. 1.*

#### QVÆSTIO IV.

Num per Exorcismos revera profligetur Sata-  
nas, & an circa Baptismum aliquis  
admittendus?

Prioris

Prioris quaestionis affirmativam, de omnibus indiscri-  
minatim Exorcismis Papisticis, ex textu Evangelii nostro ro-  
barare allaborat idem Autor Stapletonus in *prompt. Cathol. Do-*  
*minic. 3. Quadrages. dist. 2.* & quidem ex illis verbis Christi:  
*Si Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ipsius?* Pu-  
tat ergo aut hoc Christi argumentum contra Judæos non con-  
sistere, aut adhuc hodiè Exorcistas Pontificios Dæmones è cor-  
poribus efficaciter ejicere.

*Opinio S-*  
*tatio Sta-*  
*pletoni.*

Ex. Si scopus defensionis Christi contra Phariseos rectè  
attendatur, optimè ejus argumentum constabit. Non enim  
Salvatori nostro propositum fuit probare, vel saltem innue-  
re, ejusmodi fictitiam cessionem sive collusionem inter Sata-  
nam & Pseudopphetas fieri non posse, siquidem unus Dæ-  
mon sæpè alterum ex corpore ita expellit, ut ambo postea in-  
animam miseri hominis revertantur, eundemque arctioribus  
vinculis ad æternam damnationem constrictum teneant; Ve-  
rum quia Pharisei id, quod negare non poterant, extra contro-  
versiam ponebant, malos nempe Spiritus in miraculis Christi  
revera ejici & expelli, (cum ad unicam ejus vocem omnes, si-  
ve numero frequentes, sive astu versipelles essent, catervatim  
cedere cogerentur, *Matth. 8. vers. 29. Marc. 5. vers. 9. Luc. 8. vers.*  
*30*) ac nihilominus illam expulsionem ad Principem Dæ-  
moniorum Beelzebub referebant, iccirco Christus in apolo-  
gia sua, manifesti mendacii Phariseos & Scribas hinc redar-  
guit. Diabolus namque, tanquam acerrimus sui regni propa-  
gator & astutissimus Spiritus, qui, ut *Cyprianus* ait, plurimum  
quàm quinquies mille annorum experientiam habet, illud multorum  
seculorum usu addidit intestina dissidia universis & singulis  
regnis ruinam adferre, haudquaquam ergo impuros suos so-  
cios ejicit, sed potius omnes, in opere expugnationis hominum & obscu-  
randi divinam gloriam, maximè sunt inter sese colligati, nec unquam  
dividuntur, ut rectissimè disputat *Johannes Osorius tom. 1. Conc.*  
*Dominic. Oculi pag. 614.* Manet proinde ingens discrimen in-  
ter Christi prodigiosam ejectionem potestativè factam,  
quemadmodum *Augustinus Monachus* loquitur *sermon. Quadrag.*  
*38.* & inter impios sacrificulorum Exorcismos, non sine col-

*Satan'ca*  
*illusiones*  
*quò ten-*  
*dant.*

*Diserimen inter Christi & Papi colorum expulsiōnem.* lusione Diaboli applicatos, quibus etiam Apollonius Tyaneus magus Dæmonia de obsessis exire fecit, testante Alfonso Salmerone tom. 8 tractat. 15. Istā enim Diabolus ligatur & exspoliatur, ejus potestas omnis eripitur, opera dissolvuntur, regnum destruitur, his mendacia & errores confirmantur, magici & ficti cultus stabiliuntur, hominesque ab ipso Dei regno ad Diaboli barathrum abducuntur, quod per inductionem omnium articulorum fidei alibi, à nostris Theologis evidenter ostensum est. Miracula igitur Pontificiorum, quæ Exorcismis suis assignant, non sint Divina, sed Diabolica. Legatur Dn. D. Meisnerus in Consult. Antilessiana part. 2. pag. 206. & seqq. Rungius in Exod. pag. 256. Item Dn. Præses in L. de Eccles. cap. 11. sect. 11. pag. 1222. Pulcrè Autor imperfecti operis (qui Chrysostomus esse putatur, præstantissimis Patribus eruditione comparandus, ut vult Josephus Acosta Jesuita Hispanus libr. 2. de temp. noviss. cap. 12.) homil. 29. in Matth. Quemcunque videris, inquit, Dæmonia ejicientem, si non est confessio veritatis in ore ejus, nec justitia in manibus ejus, non est homo Dei.

*Evangelis Stapletoni.*

Sed instat Stapletonus: Accepisse Ecclesiam potestatem à DEO coercendi & ejicienti Dæmones per Exorcismos, testatur tota antiquitas. Resp. Apostolos aliosque eorundem successores in primitiva Ecclesia, consuevisse homines corporaliter obsessos miraculosis actionibus liberare, & Satanam sede suā tyrannicè occupatā pellere, nemo nisi infans in historia sacra & Ecclesiastica inficias ibit. Verum illud fuit peculiare Spiritus sancti donum, quod postmodum successu temporis exolevit. Nam miracula fuerunt necessaria, priusquam crederet mundus, ad hoc, ut crederet. Qui verò hodiè prodigia, ut credat, inquit, magnum est ipse prodigium, dicente Augustino libr. 22. de civit. Dei cap. 8.

Quamvis interim & hoc asserendum sit, legitimū ministerium Ecclesiasticum adhuc hodiè potestatem habere Satanæ regnum aggredi, eundemque ex animis hominum juxta verbum in Scripturis divinis expressum, & per Sacramenta à Christo instituta ejicere, quia videlicet illud ministerium non est hominum aut Angelorum, sed Spiritus Dei, 2. Corinth. 3. vers. 8. qui scutum fidei nobis suppeditat, quo omnia tela nequissimi ignea



*ignea extinguere possumus omni tempore orantes Ephes. 6. vers. 16. &*  
 17. Et huc veteres sancti Patres respexerunt, quando Bapti *Exorcismi*  
 smatis actioni Exorcismum addiderunt, non quasi verbis il- *in Baptismo*  
 lis peculiarem *ἐνεργειαν* & efficaciam attribuerent, sed ut ipsius *verus usus.*  
 Baptismi & ministerii Spiritus virtutem considerandam pro-  
 ponerent, ac simul indicarent, portas inferorum à CHRISTO  
 JESU expugnatas, captivitatē captivam ductam, mortem *Hof. 13. 9.*  
 in victoria absorptam, & destructum eum, qui mortis habe- *14. 1. Cor. 15*  
 bat imperium, id est, Diabolum, omniaque ista per CHRIS- *6. 54 Hebr.*  
 TUM acquisita bona in teneros infantes jam jam Baptisan- *2. 14.*  
 dos, derivanda esse. Præterea ut Ecclesiam admonerent,  
 quanta sit Satanæ in homines per peccatum deperditos vis  
 atque potestas. Tamen si enim *ἀνθρώπων* iste non-  
 dum regeneratos, DEO vires & voluntatem illius potenter  
 inhibente, corporaliter non possideat, spiritualiter tamen  
 corda eorum sic invasit, ut in habitationem & domicilium  
 ea sibi præparasse rectè dicatur. Hinc est, quod homines extra  
 gratiæ per Christum partæ communicationem *sub potestate tene-*  
*brarum Coloss. 1. vers. 13. regno cælorum extorres & iræ filios, Ephes.*  
*2. vers. 3. laqueis Diaboli ad ipsius voluntatem captivatos 2. Timoth. 2.*  
*vers. ult. Scriptura passim nominat. Quæ omnia quia Calvi-*  
*nus cum asseclis negat, & ex hac sua efficta hypothesi, quasi in*  
*Christianorum liberos per naturam (sc.) Sanctos, nulla salvifica*  
*vis à Baptismo derivetur, Exorcismum damnat, meritò sese*  
*d. l. Calvino opponit Stapletonus, & eum veteribus hæreticis de-*  
*teriores esse scribit.*

Ut igitur *ζήτημα* hoc concludamus? Exorcismus in *Ritus exor-*  
 administratione Baptismi tanquam *ἀδιάφορον* humana auto- *cismi in Ba-*  
 ritate & bono consilio in Ecclesiam introductum, liberè *ptismo,*  
 (contra falsos fratres, qui introierunt explorare libertatem nostram *quomodo &*  
 quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigant, Galat. *cur reti-*  
 2. vers. 4.) observari potest 1. ad ostendendum consensum no- *nendus.*  
 stræ Ecclesiæ cum pia antiquitate, à qua hic ritus ad nos pro-  
 manavit. 2. ad adumbrandam spiritualem captivitatē ho-  
 minum fœderi Dei nondum insertorum. 3. ad repræsentandam  
 Christi de Diabolo & morte victoriam. 4. ad efficaciam  
 Baptismi

Baptismi, qua infantes ex potestate tenebrarum in regnum fi-  
lii Dei transferuntur, asserendam &c. Hoc autem nihil vel Sta-  
pletono, vel reliquis Pontificiis faver, qui Exorcismo opinio-  
nem cultus & peculiarem efficaciam affingunt, & propterea  
tanquam rem ad Baptismum ἀπλῶς necessariam urgent.

## QVÆSTIO V.

An homo post lapsum in spiritualibus habeat  
liberum arbitrium?

*Spiritualis  
hominum  
obsessio pe-  
riculosa.*

In quantas angustias humanum genus per peccatum  
Diaboli insidiis demersum sit, ex præcedenti quæstione quo-  
dammodò colligitur, & satis documento est Dæmoniaci in  
nostro Evangelio exemplum. Etsi enim non omnes homines  
(quod immenso Dei beneficio tribuendum est) à Satana ita  
corporaliter occupentur, attamen pleriq; spiritualiter multò  
periculosius obsessi sunt, dum captivi tenentur Diaboli laqueis ad  
ipsius voluntatem, 2. Timoth. 2. v. 26. cujus spiritualis obsessionis  
gradus quidam est illa miseria & cæcitas, in qua, propter origi-  
nale peccatum, nati sunt & hærent omnes homines carnales  
ante regenerationem. Iccircò Christus ad hoc missus dicitur,  
ut opera Diaboli dissolvat 1. Ioh. 3. v. 8. & per totum Redemptionis opus  
liberavit nos non solum à peccato, sed etiam à potestate Satanae, Col. 1. v.  
13. & cap. 2. v. 15. Hebr. 2. v. 14. Quæ cum ita sint, non immeri-  
tò quæritur: An homo post lapsum, præsertim in spiritualib.  
adhuc habeat liberum arbitrium?

*Costeri de  
hac quæ-  
stione judi-  
cium.*

Franciscus Costerus Dom. 3. Quadr. conc. 3. ad illa verba Chri-  
sti: Cum fortis armatus custodit atrium suum &c. De Diabolica cu-  
stodia, in qua homines continentur, disserit, ejus duas addu-  
cendo causas. Primam ponit in Dæmone omni vigilantia id  
procurante, alteram in humanæ imbecillitatis fragilitate per  
peccatum originale attracta. Et hætenus quidem rectè. Sed  
quæ sequuntur, spongia opus habent: Per hoc v. peccatum nullo  
modo liberum arbitrium totaliter conquassatum ac deperditum est, uti  
post Simonem Magum, Manichæos, Priscillianistas veteres hæresiarchas  
nunc LVTHERANI juxta ac Calvinistæ, non solum adversus Scriptu-  
ratum

varum veritatem, sanctorumque omnium Patrum doctrinam, verum etiam  
contra rectam rationem ipsamque adeo quotidianam experientiam insani-  
unt. Per liberum quippe arbitrium possumus multis in rebus decernere,  
quid facere aut eligere velimus. Unde Dominus ad Salomonem agebat  
1. Reg. 3. vers. 5: Postula quod vis ut dem tibi. Et Pilatus ad Christum  
Job. 19. v. 10. Nescis quia potestatem habeo crucifigere te. Et Dominus  
ad filios Israel Num. 30. v. 14: In arbitrio vestro erit, sive facere sive non.  
Moses quoque ad eosdem Deut. 30. v. 19: Testes invoco hodie cælum &  
terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem. Eccles. 15. v. 14: Deus  
ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui &c.  
Haftenus Costerus.

Resp. Multa desideramus in hoc Jesuvitico discursu. *Ejusdem  
proterbum  
ingenium.*  
1. Equitatem, dum Lutheranis (ita enim placeat illis homini-  
bus nos appellare) eandem de libero arbitrio cum Calvinianis,  
Manichæis &c. attribuit sententiam, quorum tamen doctrina  
in tantum dissentit.

*Quantum suspectu superant & mole, reductum  
Infima puncta solum, celsissima culmina cæli.*

2. Integritatem, dum nostram sententiam non integrè, sed ma-  
tilatè proponit. 3. Candorem, dum nec suam, nec nostram  
mentem satis dilucidè & apertè exponit, sed dicta plurima pla-  
nè heterogenea cumulat, ac totam doctrinam de libero arbi-  
trio periculosè involvit.

Ut igitur directè adversario respondeamus, distinguens  
dum est 1. inter diversas hominis actiones, 2. inter diversos e  
jus status. Actiones hominis aliæ sunt Mundanæ, quæ iterum  
vel naturales, ut edere, bibere, ridere, loqui &c. vel morales seu  
civiles, quales sunt actiones Politicæ, Oeconomicæ, mechani-  
cæ; aliæ sunt Spirituales sive Ecclesiasticæ, eæque vel externæ  
in oculos incurrentes, & concernentes ipsum religionis exerci-  
tium, ut audire, meditari verbum &c. vel internæ ac propriè  
spirituales, quæ in Deo ad animarum salutem faciunt, ut  
sunt audito verbo assentiri, in Christum fiducialiter credere &c.  
Deindè quod ad alteram distinctionem attinet, consideratur  
homo respectu temporis, vel in statu integritatis ante lapsum,  
vel in statu corruptionis post lapsum, qui posterior status rur-

sus triplicem efficit hominis considerationem: alia enim ejus est conditio ante regenerationem, alia post regenerationem in hac vita, alia post resurrectionem in vita æterna.

*Arbitrium  
quomodo in  
homine re-  
liquum.*

Hiscæ positis, dicimus quæstionem hîc non moveri de statu integritatis ante lapsum, & felicitatis in vita æterna, neq; de statu hominis renati post conversionem, sed quæritur de viribus liberi arbitrii post lapsum in homine reliquis, antequam convertatur? In quo miserando corruptionis statu liberum arbitrium vel adhuc quidem est, at valdè infirmum, imperfectum & debilitatum, nempe in materia sua, ut vocant, propria h. e. in actionibus naturalibus, civilibus, ut etiam spiritualibus externis, in quibus homo non renatus suâ libertate quodammodo etiamnum fruitur, & ad utrumque oppositorum se habet; vel est planè corruptum, & servum potius quàm liberum, nempe in materia impropria, h. e. actionibus bonis internis & verè spiritualibus, quas sine Spiritu sancto nedum inchoare, multò minus præstare aut perficere potest, Gen. 8. v. 21. Psal. 119. v. 34. Matth. 7. v. 18. c. 16. v. 17. Johan. 1. vers. 5. c. 3. vers. 27. c. 6. v. 44. c. 25. v. 5. Actor. 26. v. 17. Rom. 1. v. 21. c. 3. vers. 11. c. 6. vers. 20. c. 7. vers. 14. c. 8. vers. 7. 1. Corinth. 2. vers. 14. c. 4. vers. 7. 2. Corinth. 3. vers. 5. Ephes. 1. vers. 17. c. 2. v. 1. & 5. c. 4. vers. 17, 18. c. 5. vers. 8. Philip. 2. vers. 13. Coloss. 2. v. 13. &c. Vide Clariss. Præceptorem Dn. D. Meisnerum Disput. 21. & 22. Anthropol. sacre, ubi hæc & alia dicta in certas classes redacta ab adversariorum corruptelis vindicantur.

*Responsio  
ad dicta  
Scriptura à  
Costero nos  
his opposita.*

Ad dicta quoque à Costero in contrarium adducta facilis est responsio. Primum & secundum loquuntur de actionibus externis & civilibus, ut quis cordatus intelligit. Tertium similiter tantum de maritis agit, quos Scriptura ibi dicit posse suarum uxorum vota, vel approbare, vel infringere. Quid autem hoc ad internam hominis renovationem? Bellarminus sanè ipse non audet hunc locum, nisi pro stabilienda libertate in rebus civilibus adducere, lib. 4. de Grat. cap. 7. Quartum ex Deuter. 30. cap. continet præceptum. Ast à præcepto ad posse nulla est consequentia. 2. Dictum illud totum est Evangelicum, ostendens non quid nos ex nobis ipsis efficere valeamus, sed quomodo ad Christum pervenire queamus, ut ejus fruamur beneficiis.

ficiis. 3. Erant in illa catu Israelitarum renati, qui Domino obedire poterant, non ex corruptis viribus naturæ, sed gratiæ. Ab arbitrio verò liberato ad captivatum, iterum nulla consequentia. Denique ad dictum *Ecclesiastici* reponimus 1. librum illum esse extra canonem, adeoque ad fidei dogma probandum non sufficere. 2. Si accuratius locus inspiciatur, agit Ecclesiasticus de homine considerato non in statu corruptionis, sed integritatis ante lapsum, quod partim ex ipsissimis verbis, dum inquit: *ἐξ ἀρχῆς ἀβ ἰνῖτιο ἑκῖτ ἡμῖν* &c. partim ex scopo dicentis colligitur, Vult namq; demonstrare autor iste, Deum non esse causam peccati, idq; hoc medio, quod Deus ab initio hominem creaverit liberrimum, ac in ejus arbitrii libertate posuerit vitam & mortem. Rationes & sententias Patrum, quibus suam opinionem niti gloriatur Jesuita, quia nullas affert, nos etiam ad eas respondere non tenemur.

### QVÆSTIO VI.

An hæreticos, & in specie Calvinianos pro concione ex Scripturis perstringere liceat?

*Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, clamat sancta Christi sponsa, *Cant. 2. v. 15.* Vulpeculæ ejusmodi hæretici sunt, qui non tantum vi & armis, sed interdum etiam sub amicitia & fraternitatis pallio, vineam Domini invadunt, ac palmis suo morsu venenoso plurimum damni inferunt, inter quos Calviniani sub Christianorum nomine sese insinuantes facile palmam obrinent. Nam præter alia insidiosa media, isto quoque utuntur, ut subdole à Principibus & Magistratibus severissimam extorqueant mandata, quibus fidelibus Ecclesiæ ministris silentium injungatur, ne unquam Calvini vel sociorum pro concione mentionem faciunt, multò minus eorum erronea dogmata perstringant. Et ne hoc nimis durum & insolens videri possit, blandis insuper verbis tanquam æquitati & Christianæ charitati apprimè conveniens, id simplicioribus persuadere satagunt.

Ita namq; Apostata Pelargus in præfatione sua, contra Eximium

F 2.

Theole.



Theologum Dn. D. Balduinum, futilissima apologiæ ad Pastores in  
Electoreatu Brandenburgico scribit: Seponantur paulisper odia, nec  
audiantur aliquandiu sectaria nomina: Addit rationem: Sunt enim  
illi (intellige Calviniani) Christi & vestri Fratres, certè fratres, quo-  
rum pater unus, una nativitas, una fides, una hæreditas, unumque unum  
omnibus est fundamentum. Eandem crambem ad nauseam usque  
recoquunt Pareus in suo Irenico, Antonius Benbellon in suscitabulo, Jo-  
hannes à Münster im warhaffigen Bericht.

Refutatur  
solide Chri-  
sti exemplo  
& monito.

Verum enim verò quia nostri instituti ratio jam non per-  
mittit, hujus monitrosi judicii vanitatem prolixè demonstrare,  
impræsentiarum vulpeculis hisce tantum oppono ipsum Salvato-  
rem in nostro Evangelio, qui suo tum exemplo tum monito o-  
mnes fideles Doctores, Pastores & Ecclesiarum ministros in-  
struit, quod proponendo purum Evangelii verbum nondum  
officio suo satisfecerint, nisi insuper calumnias hostium do-  
ctrinæ cœlestis confutent, & ut Apostolus etiam hortatur, con-  
tradicientibus os obtundant. *Et si enim diligere inimicos precipimur,  
tamen eos, ut caveamus, adimonemur, ait Chrysostr. serm. in illud Genes. 3.  
Inimicitias ponam &c.* Neque Christus unquam à Pharisæis sibi  
os obstrui passus est, propterea, quòd eos videret legem Dei ha-  
bere, in cathedra Moysis sedere, & benè quædam docere, *Matth.  
23. v. 3,* immò legis sensum interdum rectè intelligere, ut pa-  
ter exemplo illius Scribæ *Matth. 12. v. 32. & 33,* sed divino fervore  
iis restitit, & tanquam gravissime errantes passim redarguit.  
Adjunge loca *Jerem. 28. vers. 15, c. 29. v. 8. Matth. 3. v. 7. cap. 23.  
v. 13. Luc. 11. v. 42. Rom. 16. v. 17. 1. Timoth. 5. v. 20. 2. Timoth. 4.  
v. 15. &c.*

Calviniani  
& Luthera-  
ni non sunt  
fratres.

Quod verò ad Calvinisequarum, & *γνησίως* Lutherano-  
rum in fundamento fidei consensum, veramque fraternitatem  
Pelargus cum suis provocat, eo ipso satis clarè, quo spiritu aga-  
tur, ostendit. Nam quomodo illi, qui Deum nostrum ignomi-  
niosè deformant, qui Christum nostrum dividunt, qui denique  
(si actionem & praxin eorundem remoto aliquantisper blandi-  
tiarum fucò diligentius consideres) non vercali nos odio prose-  
quuntur, nostræque fidei addictos nihilo quandoque mitius  
atque solent hostes infensissimi, tractant, fratres nostri esse pos-  
sunt? O rem Christiano homine & nomine indignam! Sic ar-  
gumen-

gumentamur: Quorumcunque doctrina 1. Deum naturam & *Neg. unum  
habent fidei  
fundamen-  
tum.*  
essentia bonum, ad malum & peccatum non tantum ut judi-  
cem, sed etiam ut causam concurrere statuit. 2. Salutem ponit  
& expectat in absoluto aliquo non revelato, Christum ipsum  
& in eo fundatam salvificam fidem antegrediente Dei decre-  
to. 3. Christum Jesum, tum ratione personæ, tum ratione offi-  
cii solvit. 4. Dilectionis Dei, meriti Christi & vocationis ad  
regnum Gratiæ universalitatem impugnat. 5. Spiritus sancti  
virtutem & efficaciam, quam per verbum & sacramenta exerit,  
enervat. 6. & ferè omnes Christianæ religionis articulos hor-  
rendis opinionum portentis, absurditatibus & blasphemis  
conspurcat & prophanat, illi in fundamento à nobis *dis. 2. §.  
par. 1. v.* distant, neque fideles nostri fratres ulla ratione esse  
possunt. Atqui Calvinianorum doctrina est talis, quemad-  
modum id ex ipsorum publicis scriptis ad oculum demonstra-  
runt Dn. D. Hunnius Tom. 1. Oper. Latin. Hutterus in refutat. Irenici  
Pareani, Menzerus in Exegesi Aug. Confess. & alii nostrates Theo-  
logi, quos vide. Ergo Calviniani nobiscum in fidei funda-  
mento non consentiunt, adeoque nec veri & fideles fratres no-  
stri esse possunt. Hic ergo locum habet illud Apostoli 2. Co-  
rinth. 6. v. 14: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ so-  
cietas luci cum tenebris? Quæ conventio Christo cum Belial? Aut quæ  
pars fidelium cum infidelibus? & deis & divitatibus divitiarum & nobilitatis & re-  
verentiæ.* Matth. 6. v. 24. Quo etiam spectat Servatoris nostri sul-  
men ex præsentis Evangelio: *Qui non est mecum, contra me est, & res Christi  
& Belial.*  
qui non colligit mecum, dispergit. Subsumo: Calviniani non sunt  
nobiscum, nec nobiscum colligunt. Ergo Calviniani contra  
nos sunt, vi collectionis Christi.

Cæterum ut eo magis adversarios vulpinæ suæ *ταυρα-  
γίας* pudeat, audiant quæso suum in fide socium Jodocum Na-  
bum, qui in Postill. Concion. Domin. Oculi pag. 267. de hac re  
sic disputat: *Requiritur ab omnibus Christianis, præsertim Doctori-  
bus, ut non tantum doceant veritatem, sed etiam graviter resistant ve-  
ritati obloquentibus & obstacula obijcientibus; exemplum Christi imi-  
tantes, qui non tantum quod rectum verumque fuit, docuit, sed etiam falsum*

*Arrige au- res Pelarge.* monstravit & refutavit, Tit. 1. vers. 9. Taxandi hinc sunt canes muti, qui latrare non possunt, tempore serviunt, jacent, & amant dormitatio- nem, Esa. 56. vers. 10. Ea de causa Christus reprehendit reliquos Ju- daeos, qui cum audirent blasphemias Phariseorum, ijs se non opposuerunt, sed suo silentio eos approbarunt, eosq; in adversariorum numero habet, inquiens: Qui non est mecum, id est, ex professo partes meas juvat, is contra me est, id est, est meus adversarius. Quod observandum est omni- bus ijs, qui Christum cum Satana **SALTEM AD TEMPUS CONCILIANDI** rationem querunt. Hæc Nahum,

## QVÆSTIO VII.

An verè renati possint excidere gra-  
tia Dei?

*Diabolus  
securitatem  
hominibus  
persuadere  
nititur.*

Graphicè admodum Salvator noster in hodierno Evan-  
gelio Diaboli ingenium nobis depingens inter alia dicit, illum  
atrium suum, id est, cor peccatoris ita custodire, ut in pace sint omnia  
quæ possidet. Hoc namque imprimis agit Diabolus tum *ἐπιπέ-  
σως* per seipsum, tum *ἐπιπέσως* per Pseudopphetas seu fal-  
sos ministros, ut omnem divini iudicii meritum ex hominum  
animis excutiat, eosdemque in pace & tranquillitate peccare  
faciat. Specimen hujus Satanici Spiritus manifestum nobis  
rursus exhibent Calvinisequæ, qui unanimi consensu docent  
& scribunt, Homines semel verè regeneratos gratiã  
Dei excidere nullã ratione posse, idque propter absolu-  
tum, quod illi fingunt, Dei decretum. Ex quo falso princi-  
pio Abraham Scultetus in sua Idea Conc. Domin. Oculi, ad gravissi-  
mum Christi ex præsentis Evangelio de vitanda securitate mo-  
nitum, excipit: Non colligendum est, ac si electi fideles possint seduci.  
Impossibile id est, Matth. 24. Oves Christi nemo rapiet, Johan. 10. Ele-  
cti sunt mansiones Dei, Johan. 14. Domum Dei autem nunquam ex-  
pugnabit Diabolus. Mox subnectit: sed de ijs loquitur Christus

*Facit id et-  
iam Scultes  
tus cum so-  
cietis.*

**QVI ALIQVATENUS SUNT ILLUMINATI,** qui gustum aliquem habent gratiæ: qui baptismo initiati: qui



qui cœna Dominica usi: qui aliqua habuerunt novæ obedientiæ initia:  
VERE autem REGENERATI NUNQUAM FUE-  
RUNT. Eiusdem generis Calvinianæ Theologiæ flosculos  
vide apud ipsum Calvinum lib. 3. Instit. cap. 2. dist. 11. 12. Bezan  
in Colloq. Mompelgard. pag. 463. & seqq. Zanchium tom. 7. miscel.  
pag. 241. & tom. 8. lib. 1. Epist. pag. 463. & seqq. Keckerman. in  
system. Theol. lib. 3. cap. 7. pag. 734. Rennech. in cat. sal. pag. 157.  
& 261.

Resp. Longè aliud ac planè contrarium docet clarissima  
CHRISTI *παράκλησις*, quam Apostolus Petrus 2. Epist. 2.  
vers. 20. repetit, immò scopus & totus contextus Calviniano-  
rum cavillationem facilè refellit. Hinc Petro Bertio Batavo,  
in Hymenæo desertore pag. 45. manifesta veritatis vis, ut ipse in præ-  
fatione istius libri fateatur, hanc expressit ex nostro Evangelio  
*ὁ δὲ ἐξ ἑ*: Ex quo ejectus est Dæmon, is est verè justificatus. At ta-  
lis potest securitate sua & neglectu relabi in statum priore deteriorem.  
Ergò qui semel verè justificatus fuit, potest relabi in conditionem priori  
deteriorem. Quod etiam August. Confess. art. 10. masculè infert,  
dum ait: Damnant nostræ Ecclesiæ Anabaptistas (& Anabaptistis  
sefe hodiè associantes Calvinianos) qui negant semel justificados  
posse amittere spiritum sanctum.

Nec desunt nobis alia multa & perspicua Scripturæ testi-  
monia, inter quæ non postremum est illud Ezech. 18. vers. 24. SI  
AVERTERIT se justus à sua justitia, & fecerit iniquitatem secundum  
omnes abominaciones, quas operari solet impius, nunquid vivet? in præ-  
varicatione sua & peccatis suis MORIETUR. Vide ergò, inquit  
Apostolus Roman. 11. vers. 22. bonitatem & severitatem Dei: In-  
eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem, SI PER-  
SERIS in bonitate, alioquin & tu EXCINDERIS. Sed & illi,  
si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus  
ITERUM inserere illos. Unde etiam idem Apostolus cap. 8.  
vers. 13. suis Romanis certè renatis, qui in Christo Jesu sunt, vers.  
2. qui in Spiritu sunt, vers. 9. in quibus habitat Spiritus, vers. 11. hunc  
ingeminat infallibilem Canonem: Si secundum carnem vixe-  
ritis,

Sed refelli-  
tur. 1. ex  
Evangelij  
verbis.

2. aliis Scri-  
ptura aper-  
tis testimo-  
niis.

vitis, moriemini, non dubitans alibi de seipso affirmare, quod ca-  
stiget corpus suum, nedum alijs predicat, ipse reprobus fiat, 1. Corinth. 9.  
vers. ult. Sic in Epist. ad Hebr. cap. 6. v. 4. disertis verbis dici-  
tur, quod SEMEL ILLUMINATI & participes redditi spi-  
ritus sancti pro lapsi sint, & totaliter à Christiana fide defecerint. Idem  
repetitur cap. 10. v. 29.

3. rationi-  
bus.

Confirmatur deinceps nostra sententia evidentissimis ex  
Scriptura de promptis rationibus. Nam si fidem semel adepti,  
rursus eandem amittere non possent, inanes essent omnes ad-  
hortationes, quæ à CHRISTO Johan. 5. vers. 14. & Aposto-  
lis 1. Corinth. 10. vers. 12. Apocal. 3. vers. 11. tam sollicitè insti-  
tuuntur, atque DEUS reatorum peccatis non irascetur,  
quia gratia & ira DEI simul stare nequeunt. At consequens  
utrumque est absurdum, ac contra sacras literas, Deut. 18. v. 12.  
& cap. 32. v. 41. Psal. 5. v. 5. Ergò & antecedens tale erit. Eò  
spectat Davidis precatio Psal. 51. v. 13. Ne projicias me à facie  
tua, & Spiritum sanctum ne auferas à me. Quod si impossibile es-  
set, ut Spiritus sanctus, quoad gratiam, amittatur, & fideles se-  
ducantur, cur David per conciones Nathanis conversus tam  
sedulò precatus fuisset?

4. exemplis.

Denique faciunt huc tristissima horrendorum lapsuum,  
in renatis exempla, quorum quidam per seriam pœnitentiam,  
ad gratiam redierunt, ut David homicidium simul & adulte-  
rium committendo, 1. Reg. 11. & Petrus ter CHRISTUM  
abnegando Matth. 26; quidam verò æternæ salutis fecerunt  
jacturam, ut Saul & Judas proditor. Ad quos referuntur  
maxima pars Israëuitarum in deserto prostrata, Num. 26. vers.  
65. 1. Corinth. 10. vers. 5. & omnes ij, qui in infanti ætate  
per initiationis Sacramentum verè sunt regenerati, postmo-  
dum verò ubi adolescunt, excusso Spiritu sancto moriuntur &  
æternum damnantur. Confer Deuter. 9. vers. 20. Johan. 17.  
v. 12. 1. Corinth. 5. v. 5. 2. Corinth. 2. v. 7. 1. Timoth. 1. v. 19. 2. Ti-  
moth. 2. v. 18.

Solvuntur  
objectiones  
Sculteti.

His ita stantibus facilimum est ad dicta Scripturæ per-  
versè à Sculteto adducta respondere. 1. Confundit Sophi-  
sticè

Nicē Electos cum renatis seu regeneratis. Quamvis enim  
 omnis electus sit verè renatus, non tamen contra, omnis verè  
 renatus est electus, cum electio non tantum fidem, sed etiam  
 perseverantiam in fide includat. 2. Confundit amissionem  
 gratiæ ac fidei totalem & finalem. Etiam electi ad tempus gra-  
 tiam & fidem amittere possunt totaliter, etsi non finaliter, alio-  
 quin non essent electi. At quidam renati totaliter & finaliter  
 fidem amittunt, adeoq; electi non sunt. 3. Confundit im-  
 possibilitatem absolutam & hypotheticam. Electi finaliter  
 excidere gratia non possunt, necessitate non simplici, absolutâ  
 & fatali, quasi ita absolutissimè ad salutem sint prædestinati, ut  
 in gratia Dei maneant, quicquid etiam agant, sed hypotheticâ,  
 ex conditione nempe & ordinatione divina, quia Deus per  
 cert a media, Verbum & Sacramenta, fidem in illis accendere,  
 & in istis organis eandem augere & custodire vult. Sum-  
 matim, electos seduci impossibile est, non autem verè regene-  
 ratos 2. Electi seduci non possunt finaliter, possunt tamen  
 totaliter. 3. Impossibile id est, impossibilitate non absoluta,  
 sed hypothetica, ut ex superioribus est manifestum.

### QVÆSTIO VIII.

An Maria mater Christi fuerit ab omni pec-  
 cato immunis?

Inter plurimas immanes atque intolerandas, quæ in Pa-  
 patu vigent superstitiones, hæc non minima est, quod Mariam  
 ἀπαρτέρω absque peccato originali conceptam, neque per <sup>Festum con-</sup>  
 totam vitam ulli actuali obnoxiam astruant, ac propterea in <sup>ceptionis</sup>  
 ejus honorem festum Conceptionis Mariæ 8. Decemb. annua <sup>Maria un-</sup>  
 solennitate celebrent. Etiam si autem ne unicum quidem hu- <sup>de.</sup>  
 jus sui asserti firmum fundamentum in Scripturis, unde res  
 probanda est, habeant, quemadmodum ipse Bellarminus lib. 4. de Pontificio-  
 amiss. gratia cap. 15. nolens volens fateri cogitur: Non temerè, <sup>rū assertio</sup>  
 inquit, sed piè ac rectè existimatur, beatam virginem Mariam singu- <sup>destituitur</sup>  
 lari Dei privilegio ab omni omnino peccato fuisse immunem. NEQVE <sup>Verbo Dei</sup>  
 verè EXPECTANDUM EST, UT EXPRESSUM DE <sup>juxta Bel-</sup>  
 VERBUM adferamus; interim tamen secus docentes ipso facto <sup>larminum.</sup>  
 G excom-



excommunicationem incurrere definit e cathedra sua *Sicrus*  
IV, *Papa. lib 3. Extrav. Commun. tit. 12. cap. 2.* quam definitionem  
suo decreto munit Conciliabulum Tridentinum Anno 1546.

*Sed non  
juxta Coste-  
rum.*

At quod Bellarminus causæ metuens non potest, alius  
quidam *Francisci Costeri* genius, Franciscanorum (qui olim acer-  
rimi istius dogmatis contra Dominicanos erant propugnato-  
res) errori blandiens fortassis potest. Hic namque ex Scriptu-  
ris, & quidem ex mulieris præconio in præsentis Evangelio *pag.*  
*174.* ita discurret: *Quod mulier illa & ventrem & ubera castissime*  
*Mariæ Virginis nominatim exprimit, non ex levitate, sed sancti Spiritus*  
*inspiratione est factum. Hinc discet, non fuisse in Diva virgine inordinatas*  
*ullas passiones, quæ ex ventre originem trahunt, sed quod à Deo instar*  
*primorum Parentum nostrorum Adami & Evæ procreata, voluntatem*  
*suam cum divina virtute semper unitam habuerit, omnesq; vitiorum in-*  
*clinationes rectæ rationi subjectas, ita quod nec originalis nec actualis*  
*labe, sive veniale, sive mortiferum illud fuerit, unquam fuerit con-*  
*taminata. Et paulò post: In Maria, ne minimum quidem peccati*  
*vestigium unquam exstitit, adeò ut quando de peccatis agitur, oporteat*  
*nos hanc solam excipere, quod ejus venter fuerit mundissimus, sanctissimus,*  
*beatissimus.*

*Fesait opio  
nio & ratio  
Ineptas.*

*2.* Quis adeò stupidus, ut hunc crassissimum Costeri non  
deprehenderet *παρολογοισμὸν*? Non enim illa mulieris vox  
beatitudinem omnimodam, sed aliqualem subindicat, siqui-  
dem matrem esse alicujus filii præclari, etiam Christi, tantum  
externa & corporea beatitudo est, quæ matris animû ex se me-  
liorem aut Deo gratiorem non reddit, nec per se eam valet ad-  
ducere ad regnum cælorum, in quo vera beatitudo sita est.  
Unde Christus eam tanquam insufficientem pleniori ostensione  
veræ felicitatis statim supplet. Vid. supra *ib. 49, 51, & 52.*

*3. Absurda.*

Porro si Maria, propterea dicenda esset *ἀναμαρτήθη* & *ἁγία* Christi  
*ἀναμαρτήτων* conceperit & pepererit, pari ratione sequeretur,  
Mariæ quoq; genitricem, aviam & universas in ascendenti linea  
matres usq; ad *ἀρχιμητρίδα* Evam, ab omni peccato immunes  
fuisse. Quod posterius quia *ἀτοπον & ἀλογον*. Ergo & prius.

*4. Fabula  
superstrua  
est.*

Tertiò falsum est, Mariam à Deo instar Protoplastorum  
Adami & Evæ procreatam esse. Nam hi immediate à Deo ex  
inha-

inhabili quadam materia creati sunt, illa ex semine utriusque parentis, juxta communem generandi modum, producta fuit, nisi forte Jesuitæ illud in *Legendis sanctorum* arrideat, Mariam non ex connubiali congressu, sed ex osculo Joachimi, quod conjugii Annæ fixerat, conceptam esse.

Quartò tantum abest, ut illa naturalis Mariæ sanctitas ex *4. Scriptur*  
Scripturis probetur, quin potius è diametro ei sit contraria, *ra contra-*  
*ria.*  
Hæc enim omnes in universum homines in peccatis concipi & nasci pronunciat, *Job. 14. v. 4. cap. 15. v. 14. Job. 3. v. 6. Rom. 3. v. 23. c. s. v. 14. & c.* Hæc non Mariæ, ut Bellarminus nugatur, sed soli Christo singulare privilegium immaculatæ conceptionis assignat *Luc. 1. v. 35. Hebr. 4. v. 15. 1. 7. v. 26.* Hæc Mariæ etiam lapsus & peccata, licet leviora, enarrat *Luc. 2. v. 43. & 48. Job. 2. v. 3.* eamque per fidem in Christum cum reliquis Sanctis salvatam esse affirmat, quemadmodum ex *Luc. 1. v. 45.* & ex Christi *ἐπαγγελία* in præsentis Evangelio manifestò videre est. Plura pro hujus quæstionis enodatione lege apud *Dn. D. Præsidentem tom. 2. Locor. art. 12. sect. 110 & seqq.*

### QVÆSTIO IX.

An Maria mater Christi sit religiosè invocanda?

Idolomaniam hanc & horrendum superstitionis *βδέλυγμα* *Μαριολατρία* prioribus attexit *Costerus*. Postquam enim suâ opinione probasset Mariam *θεοτόκον* nulli peccato Originali, vel etiâ actuali fuisse obnoxiam, ulterius progreditur, & absurdum hoc dogma (quemadmodum uno inconvenienti posito fieri solet) inde extruit, Mariam invocandam & religioso cultu prosequendam esse.

Verba ejus ex *conc. 3. Quadrag. pag. 175.* ita habent: *Decet, ut rectissime Bernhardus ait, MEDIATRICEM DEI ET HONORIFICISSIMAM Mariam virginem, omnibus esse præditam dotibus, quibus à Deo posset exaudiri. Unde secundum corpus quidem erat ipsius mater, habens autoritatem imperandi filio, verum, si secundum animam non fuisset quoque aliquo modo illi simili, carens scilicet peccatis, ac scatens virtutibus, materna hæc ipsius autoritas haudquaquam sufficiens fuisset, ut pro nobis intercedendo in omnibus exaudiri MERVISSET.* Quapropter

G E CAVEO

caveto tibi ab hæreticis illis, qui ejus honori invocationiq; invident, quin potius eam, ut par est, omni pietatis ac devotionis cultu prosequere &c. Et pag. 110: Disce hinc, inquit, Deiparæ Sanctorumq; omnium intercessionem humiliter expetere, qui nunquam non parati sunt tibi fideliter assistere. Similes flosculos de Mariæ sanctimonia & dignitate imperatoria in cœlis, vide apud Abrahamum Bzovium in floridâ Mariana. Et Johannem Lopez, tom. 4. Annotat. de Sanctis pag. 17. & seqq.

Qua tamen  
ab Ortho-  
doxis multa  
ob causas  
improbatur.

R. 1. Non sine blasphemia & ignominia Servatoris nostri hæc dici, tota testatur sacra Scriptura, cum is in throno dextræ Dei ita cuncta suis pedibus subjecta habeat, ut nullius auctoritatem sibi imperandi patiatur. 2. Impium est Mariam statuere mediatricem inter Deum & hominem. Nam *unicus tantum est Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, 1. Timoth. 2. v. 5. Sanctorum ἀντρεψὺς, Hebr. 8. v. 2. nunc apparens in conspectu Dei, Hebr. 9. v. 24. semper vivens ad interpellandum pro nobis, Hebr. 7. v. 25.* Si verò ex Patribus Bernhardus interdum imprudenter est locutus, excusare eum possumus quod longè alio sensu, quam hodiè Pontificii faciunt, hyperbolicis istis Mariæ laudationibus usus fuerit. *Neque in præceptis Patrum, sed in præceptis meis ambulate, dicit Dominus Ezech. 20. v. 18.* 3. Quod Christus Mariam tantoperè dignatus est, ut eam matrè suâ fieri voluerit, id non operum in Maria meritum, (etenim & illa cum Sanctis orare necessum habuit: *Dimitte nobis debita nostra,*) sed gratuitum Dei beneplacitum arguit, quod pientissima mater ipsa agnovit *Luc. 1. v. 48.* & Archangelus Gabriel luculenter indicavit *Luc. 1. v. 28. & 30.*

Argumentum  
contra  
Μαριολα-  
τρίαν ex  
Evangelio.

4. Accedit quod Christus in præsentis Evangelio mulierculæ exclamanti respondens publicè doceat, veram & perfectam beatitudinem à fidei verbi divini auscultatione & conservatione provenire, ideoque beatam quidem seu felicem esse Mariam propter conceptionem & gestationem in utero ac lactationem sui, sed tantum aliquatenus, non integrè & perfectè, verè autem beatam ex gratiâ Dei, quatenus & ipsa verbum ejus audiat & in se credat. Cum quo convenit illa, citante *Barradio tom. 2. lib. 8. c. 20.* Augustini sententia: *Materna propinqui-*

propinquit as nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quàm  
carne gestasset.

5. Invocatio est cultus soli Deo debitus. Invocamus <sup>Invocatio</sup>  
enim in quem credimus, fidesque & invocatio ad idem diri- <sup>spectat ad</sup>  
guntur objectum, Joël. 21. vers. 32. Roman. 10. vers. 14. Ergo cul- <sup>primam ta-</sup>  
tus iste nequaquam ulli est tribuendus creaturæ, atque sic nec <sup>bulam.</sup>  
Mariæ, juxta illud Deuter. 6. vers. 13. Matth. 4. vers. 10. Jesa. 42. v.  
8. Psalm. 50. vers. 15. Neque possunt hic Pontificii evadere  
distinctione suâ inter λατρείαν, δαλείαν & ὑπερδαλείαν,  
quia Scripturæ planè incognita, immò contraria, Nestoria-  
na & hæretica. Consule Reverendi admodum Dn. D.  
Majoris Disputationem nuper habitam de Idololatria Pontifi-  
cia.

Denique rectè opponitur adversariis tale argumentum :  
Quicumque non est omnipræsens, ut preces nostras ubique au-  
diat, nec omniscius, ut corda scrutetur, atque omnes dolo-  
res & affectus internos intelligat, nec omnipotens, ut nostris  
defectibus possit succurrere, illum religiosè invocare nefas  
est. Atqui Maria & Sancti alii non sunt omnipræsentes, non  
omniscii, nec omnipotens, ut ipsi adversarii fateri coguntur.  
Ergo nefas est Mariam vel alios Sanctos invocare, & negle-  
cto fonte aquæ vivæ Christo, cisternas, quæ aquam non ha-  
bent, effodere.

Nos pedem hîc figentes cum Ecclesia veteri ex devoto  
corde concinimus :

Gloria tibi Domine,  
Qui natus es de virgine,  
Cum Patre & sancto Spiritu  
In sempiterna secula.

G 3 Catalo-

*Catalogus aliorum errorum & mendaciorum*  
*è Postill. Adversariorum collectus.*

I. Christus Dæmoni suas confregit vires liberando e  
limbo Patrum antiquorum, qui tanto annorum spacio victi  
illic detinebantur, animas: nec non & illorum, qui emendato-  
rio igne expurgabantur. *Fr. Costerus Dom. 3. Quadrag. conc. 3. pag.*  
*102. & pag. 157.*

II. Christus de sanctissimis traditionibus Apostolos in-  
struxit. Quarum equidem meliorem partem, sine ullis Scri-  
pturarum monumentis de manu ad manum nobis traditam,  
jam inde ab ipsis Apostolorum temporibus, inviolabiliter et-  
iamnum custodimus, ac sartam tectam tenemus. *Idem Ibid.*

III. Martinus Lutherus Erphordix ad recitationem  
præsentis Evangelii quasi amens ac verè à Dæmone possessus,  
contenta voce exclamans, Non sum, inquit, non sum, ac si di-  
ceret: Ego mutus Diabolus nec dum profligatus sum, neque  
meum loquendi tempus adhuc advenit. *Idem pag. 105.*

IV. Certum habeas, minus fore peccatum omnia urbis  
frequentare lupanaria, quàm imaginem Christi & sanctissimæ  
matris cultu non afficere. *Idem pag. 106.*

V. Blasphemiam Deo inferunt hæretici, qui sacrarum  
reliquiarum, in quibus Spiritus sanctus habitat, veritati, fidem  
derogant. *Idem Ibid.*

VI. Diabolus in hoc Babylonico regno diversa habet  
hæresum portenta, nempe Lutheranam &c. *Idem pag. 134.*

VII. Disce res illas, per quas Diabolarum tentationum  
vexationes, immò Dæmones profligantur, non repudiandas  
uti malas, sed tanquam divinas in pretio habendas: Uti sunt  
imprimis signaculum Sanctæ crucis, divorum reliquiæ ac ima-  
gines, aqua lustralis, orbiculi cerei, quos agnos Dei nomina-  
mus. Quotidiana namq; edocemur experientia, Diabólicos  
illos Spiritus minus prævalere adversus illos, qui horum quif-  
piam penes se deferunt, aut usurpant. *Idem pag. 135.*

VIII. Utile ac bonum est, cum sanctis hominibus li-  
benter conversari, ut suis meritis precibusq; ab omni Dæmo-  
num tentatione vexationeq; immunes nos conservent. *Idem*  
*pag. 139.*

IX. Pueri





IX. Pueri recens nati, qui non baptisati hinc discedunt, adversariis sociantur, licet voluntarium seu actuale nullum commiserunt peccatum. *Idem pag. 158.*

X. Disces omnia opera electorum vel meritoria esse vel peccarum *Idem pag. 160.*

XI. Johannis discipuli quos baptisaverat & sua doctrina instruxerat, debuerunt ab Apostolis rebaptisari, atq; Evangelicæ prædicationis verbo denuò institui. *Idem pag. 177.*

XII. Plurima credimus literis non exarata, sed in corde sanctæ Ecclesiæ conservata, cui non minor quam ipsis sacrorum Evangeliorum codicibus habenda est fides. *Idem Costerus pag. 178.*

XIII. Confessio peccati (qualis in Papatu urgetur) summo opere necessaria est ad ejiciendum Damonem. *Abraham Bzovius Dom. 3. Quadr. conc. 2.*

XIV. Hatten die Lutherischen Prædicanten sich dieser Lehr Gemeyß gehalten / wer mancher frommer redlicher Mann bey Leben blieben / deren viel tausend durch die verführische Lehr also umbkommen sind. *D. Eccius in Enarrat. hujus Evangel.*

XV. Du Teuffel frolockest vnd triumphierest jetzt / weil du mit dem Werck des Weibs die Sünde in die Welt gebracht / es wird aber die Zeit kommen / daß ein Weib weder dein Reich zerstören / vnd deine Kräfte vnd Gewalt zu nichten machen wird. *Petrus Besseus Dom. Ocul.*

XVI. Ein Kexer kan nicht sehen die heiligen sieben Sacramenta / welche in der Kirchen leuchten. Er kan nicht sehen das Haupt der Kirchen den Papst Clementem VIII. welcher jetzt der nechst nach Christo ist. Er ist auch stumm / denn er begeret von dem Gebet für die abgestorbenen Christen nichts zu reden. Vnd endlich ist er auch taub / denn er wil nicht hören vom Fasten vnd der Casteyung des Leibs / verstopft auch seine Ohren wann man redet vom Feasewr / vom Ampt der heiligen M. s. c. Diemeil aber die Bischoffe auch den Gewalt haben die Teuffel aus zutreiben / solten sie solche blinde / stumme vnd taube Teuffel aus ihren Bischummen verreiben. *Idem d. 1.*

XVII. Deus

XVII. Deus ad suam imaginem hominem creavit omniscium. *Rodolph. Guatherus homil. 3. in hoc Eangel.*

XIIX. Trinitatis opera quasi divisa sunt in personas, ita ut Patri creatio, Filio Redemptio, Spiritui sancto Sanctificatio tribuatur. *Jodocus Nahum Dom. Oculi pag. 274.*



SUO

BERNHARDO DERSCHOVIO.

**G**Audia nulla magis pertentant corda Parentis,  
Quam sobolem frugi cum videt esse suam:  
Nec res ulla magis delectat corda docentis,  
Quam si discipulis gaudet & ipse probis,  
Qui te Christe colunt, verâ pietate Magistrum.  
Ex labio & pendent turba sacrata tuo.  
Queis volupe est puras haurire Sionidos undas,  
Hoc magis & sitiunt, quô magis usque bibunt.  
DERSCHOVIUM hos inter serva mihi Christe Redemptor,  
Ut veri semper flagret amore pius.  
Numine quæque tuo fundamina firma locavit,  
In laudes crescant continuata tuas.

*Johannes Major D.*

F I N I S.

94 A 7385

ULB Halle 3  
002 728 095




VD17



1. An die ...  
2. ...  
3. An die ...





B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

18

TIO  
nica tertiae  
Oculi.  
UCE  
E  
RHARDO  
OFESSORE  
O.  
num honorando.  
onit  
ERSCHOW  
lus.  
is à septima  
KVIII.  
Æ  
NMANNL

